

SITNE IUSTINUS REVERA AUCTOR INTERPRETATIONIS  
CHRISTOLOGICO-MARIOLOGICAE GEN 3 15?

Responsum R. P. Tiburtio Gallus datum.

Iucundum plane non est discussionem instaurare, quam iam finitam esse putavimus, tamen rerum circumstantiis ad id pellimur. Ad commentationem nostram *De antithesi »Eva – Maria« eiusque relatione ad Protoevangelium apud Patres*,<sup>1)</sup> qua ostendimus Patrum antithesim Eva – Maria in mariologica Protoevangelii interpretatione non fundari, immo Iustinum, qui primus istius connexionis auctor fuisse dicebatur, ne interpretationem quidem christologico–mariologicam Gen 3, 15 novisse demonstravimus – R. P. T. Gallus in articulo recenter dato<sup>2)</sup> nostra argumenta Iustinum quod attinet inania esse probare conatur, item de Irenaeo sua priora asserta<sup>3)</sup> sustinet.

Putamus sagacem lectorem, qui utriusque partis argumenta attente scrutatus sit, de eorum obiectivo valore facile sibi iudicium efformare posse. Cum tamen non omnibus otium ad hoc faciendum praesto sit, ex altera vero parte et res in se spectata sit alicuius momenti et R. P. G. hoc momentum ampliaverit, eo quod rem totam cum quibusdam Summi Pontificis Pii XII enuntiatis stricte connexuit, opportunum esse duximus nova argumenta atque obiectiones a R. P. propositas ad trutinam revocare, qua occasione arrepta mentem Iustini quoque profundius nos investigaturos esse praevidemus. Nam huius commentationis obiectum est solius Iustini sententia. De Irenaeo,

<sup>1)</sup> *Collectanea Theologica*, 23 (1952) 318 – 365.

<sup>2)</sup> T. Gallus S. J., *Quaestiones de Protoevangelio in Bulla »Munificentissimus Deus«*, »Marianum«, 17 (1955) 305–331 et separatim editum inter folia *In Constitutionem »Munificentissimus Deus« commentarii*, 2, Roma 1955.

<sup>3)</sup> T. Gallus S. J., *Interpretatio mariologica Protoevangelii (Gen 3, 15) tempore postpatristico usque ad Concilium Tridentinum*, Romae 1949, 14 – 17. 170.

utpote cuius modum tractandi Gen 3, 15, mentem Iustini multum illustrare posse censemus, sub finem commentationis pauca verba facere intendimus.

R. P. G. quattuor textus *Dialogi cum Tryphone Iudaeo* hoc ordine examinat: c. 45, c. 100, c. 102, c. 91. Eundem ordinem hic servabimus. Non verebimur, ubi gravitas materiae suaserit, sententiam R. P. G. propriissimis eius verbis, quamvis paulo longius, proponere, ne eius mentem alterare videamur. Illis lectoribus quoque, qui commentationem R. P. G. prae manibus non habebunt, id gratum fore speramus.<sup>4)</sup>

### I. *Dialogi* c. 45, 4.<sup>5)</sup>

Primum referamus textum ipsius Iustini.

Tryphone interrogante, utrum illi, qui sub Moysis lege vixerant eamque observabant, in resurrectione mortuorum vitam obtenturi sint, respondet Iustinus affirmative sequenti motu ratione:

Siquidem qui ea faciebant, quae universe et natura et perpetuo praeclara sunt, ii Deo grati sunt, et per hunc Christum in resurrectione similiter ac ii, qui ante eos iusti fuere, Noe, Enoch et Iacob, et si qui alii, salutem consequentur una cum iis, qui hunc Christum Filium Dei agnoscunt, qui et ante luciferum (Ps. 109, 3) et lunam (Ps. 71, 5) erat et ex illa Davidici generis Virgine caro factus nasci sustinuit, ut per hanc dispensationem serpens ille, qui ab initio improbe egit, et assimilati ei angeli profligentur, ac mors contemnatur, et in secundo Christi adventu ab his, qui in eum credunt, et ita vivunt, ut ei placeant, penitus facessat, nec iam ulla sit, cum alii quidem in iudicium et condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittentur, alii vero perpeccionis et corruptionis et doloris expertem statum atque immortalitatem consequentur.<sup>6)</sup>

---

<sup>4)</sup> Textus Iustini allegabimus secundum J. P. Migne, *Patrologiae cursus completus, Series graeca*, VI, 1857; sed indicabimus quoque locos in J. C. T. de Otto, *Iustini Philosophi et Martyris opera quae feruntur omnia*, t. I, partes I–II, Jenae 1876/77 hoc modo: Otto I vel Otto II, sequente numero paginae.

<sup>5)</sup> Cf. St. Styś S. I., *Collect. Theol.*, a. c., 328 – 333; T. Gallus S. I., l. c., 10–13.

<sup>6)</sup> MG, 6, 571 – 574; Otto, II, 151 – 153.

In *Collectaneis* istum textum adduxeramus non ratione sui, sed propter c. 100, quod controversiae obiectum erat. Ostendimus vero: a) c. 100 esse stricte parallelum ad c. 45 vel potius simpliciter repetere quoad rem eadem, quae prius c. 45 sunt dicta; b) textum c. 45 clare prodere fontes biblicos in quibus fundatur, nimirum Lc 1, 32. 27; Io 1, 14; Mt 2, 1. Apoc 21, 4; 1 Io 3, 8; c) eosdem proinde esse fontes biblicos c. 100, neque necesse esse ad Gen 3, 15 recurrere.<sup>7)</sup>

R. P. G. vero asserit: 1. Verbis »ex *illa* davidici generis Virgine« Iustinum alludere ad Is 7, 14, quod suadeat contextus, quia iam in c. 43 Iustinus »demonstrare vult legem mosaicam finem habere in Christo, qui ex *virgine* natus est. Ad hoc probandum argumentatur ex Is 7, 14...«<sup>8)</sup> Proinde probabilius ei videtur in istis verbis »ex *illa* Davidici generis Virgine« allusionem fieri potius ad Is 7, 14 quam ad illos textus, quos nos indicavimus: Lc, 1, 27. 32; Io 1, 14; Mt, 2, 1.<sup>9)</sup>

2. In verbis »ut... serpens ille, qui ab initio improbe egit, et assimilati ei angeli profligentur« Iustinum non alludere ad 1 Io 3, 8, sed ad Gen 3, 15, quia differentiae sint nimis magnae inter verba Iustini et 1 Io 3, 8, ac τὴν ἀρχήν non significet apud Iustinum initium historiae angelicae – ut St. Styś supponat et necessarium esset ad identitatem locutionis in utroque loco admittendam – sed initium historiae humani generis, »seductionem nempe diabolicam post hominis creationem in tertio capite Geneseos descriptam«. Praeterea »serpentem et assimilatos ei angelos« quoad rem simplicius coincidere

---

<sup>7)</sup> *Collect. Theol.*, a. c., 329 – 332.

<sup>8)</sup> Verba Iustini a R. P. G. adducta ita sonant: »Quemadmodum igitur ab Abraham circumcisio, a Mōyse autem sabbatum et victimae et munera et feriae incepterunt... ita ea desinere oportebat in eum, qui secundum voluntatem Patris ex Virgine generis Abrahae, tribus Iuda et stirpis David, genitus est, Filium Dei Christum. Sed cum iam urget de illius nativitatis mysteriis disputatio, id mihi agendum est... Per eundem Isaiam Spiritus propheticus rem, ut erat ventura, praedixit his verbis: »et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum etc.« *Dialogus*, 43, 1. 3 – 5: *MG* 6, 565 – 568; *Otto*, II, 143 – 145.

<sup>9)</sup> *Gallus*, 1. c., 10 – 11.

cum »serpente« eiusque »semine« in Protoevangelio, quam cum »operibus diaboli« in 1 Io 3, 8.<sup>10)</sup>

Liceat nobis sequentia respondere.

1. Non negamus verbis »ex illa Davidici generis Virgine« Iustinum alludere ad Is 7, 14 quoque, de quo textu in c. 43 ceperat agere. Ipsi hoc inuimus, non quidem occasione c. 45, sed prius agentes de parallelo et principali textu c. 100.<sup>11)</sup> Nihilominus argumentatio R. P. G. non concludit. Nam:

a) R. P. asserit nos in istis Iustini verbis: »ex illa Davidici generis Virgine« allusionem videre factam ad illos omnes locos Novi Testamenti. Revera autem respeximus ampliorem textum Iustini, qui verbis solius vaticinii Is 7, 14 explicari non potest. Ita enim diximus:

»quod Filius Dei e Davidici generis Virgine caro factus (σαρκοποιηθείς) et natus est (γεννηθῆναι), recolit Lc 1, 32 »Filius Altissimi vocabitur«; Lc 1, 27 »ad Virginem... de domo David«; Io 1, 14 »et Verbum caro factum est (σὰρξ ἐγένετο)«; Mt 2, 1 »Cum natus esset Iesus (Ἰησοῦ γεννηθέντος)«. <sup>12)</sup>

Certo in Is 7, 14 non est sermo de Filio Dei, nec Messiae origo Davidica expresse proponitur,<sup>13)</sup> nec σαρκοποιηθείς inde ullo modo iustificatur, neque ipsa vox γεννάω ibi adest sed in Mt 2, 1. Restat mentio Virginis.

b) Iustinum in hac virginea Messiae origine in c. 45, 4 efferenda etiam ad allatum in c. 43 textum Is 7, 14 alludere non intendimus negare. Si quis tamen contenderet nihil amplius praeter illum textum Iustinum prae oculis habuisse, non videtur posse rem ab obiectionibus defendere. Rationes sunt hae:

---

<sup>10)</sup> Ibid., 11 – 13.

<sup>11)</sup> *Coll. Theol.*, a. c., 324. Notamus illic etiam locos, in quibus Iustinus de Is 7, 14 agit, nempe cc. 43. 66. 77 – 78. 84. Eisdem locos adducit R. P. G. p. 10, n. 11; poterat vero addere cc. 67 – 68. 71.

<sup>12)</sup> Ibid., 329.

<sup>13)</sup> In *Dialogi* c. 68: MG 6, 633 – 636; Otto, II, 244 s. Iustinus probat originem Davidicam Emmanuelis non quidem ex ipsis verbis v. 14, sed ratiocinio fundato in ea circumstantia, quod signum Emmanuelis datum est pro »domo Davidis« (v. 13), Davidi vero promissum est Messiam ex eius progenie oriundum esse, cf. c. 68, 5 in verbis Tryphonis.

1-o De ortu virgineo Christi bis iam locutus est Iustinus, antequam ad agendum de Is 7, 14 in c. 43, 5<sup>14)</sup> pervenit, et quidem independenter a textu Isaiano, nimirum c. 23, 3 et c. 43, 1. Notandum est, c. 43, 1 non esse initium novae sectionis, quae de virgineo partu Christi actura est, ut autumat R. P. G., sed una cum c. 43, 2 terminare sectionem de Nova Lege, quae a c. 24, 1 usque ad c. 43, 2 extenditur; prout c. 23, 3 terminat sectionem de Vetere Lege a c. 12, 2 usque ad c. 23. Et quidem uterque textus eandem ideam iisdemque fere verbis exprimunt, quod nempe instituta Veteris Legis cessarunt, postquam secundum voluntatem Patris ex Virgine ab Abraham oriunda genitus est Filius Dei Iesus Christus,<sup>15)</sup> dum a c. 43, 3 incipit nova longior sectio de Iesu Christo (usque ad c. 118, 5), quod thema introducitur textibus Isaianis: Is 53, 8 et 7, 10 – 17 cum 8, 4 (c. 43, 3 – 8). Iam ob hanc rationem potuit Iustinus in c. 45, 4 de »illa Davidici generis Virgine« loqui etiam sine respectu ad textum Is 7, 14 in c. 43, 5 allegatum. – 2-o Accedit, quod in c. 43, 8<sup>16)</sup> Iustinus ipse mentionem facit versionis Is 7, 14 a Iudaeis adhibitae (Aquilae), in qua non *Virgo*, sed *adolescentula* nominatur, et interpretationis huius prophetiae de Ezechia rege nascituro, de quibus rebus promittit se disserturum esse ac veram interpretationem demonstraturum. Quod quia hucusque non est factum,<sup>17)</sup> methodice et propter adversarios non conveniebat Iustino hoc textu solo inniti. – 3-o E c. 105, 1 scimus hanc quoque veritatem de Virgine–Matre »ex commentariis« i. e. ex Evangeliiis Iustinum hausisse.<sup>18)</sup> Ex

<sup>14)</sup> MG 6, 567 C; Otto, II, 144 B.

<sup>15)</sup> Cf. dispositionem argumenti datam v. g. a P. Haeuser, *Des Heiligen Philosophen und Martyrers Iustinus Dialog mit dem Juden Tryphon*, Kempten – München 1917, XII – XXII.

<sup>16)</sup> MG 6, 569 A; Otto, II, 146 C.

<sup>17)</sup> Demum in c. 66 rem hanc aggreditur Iustinus ac per plura capita ducit.

<sup>18)</sup> »Unigenitum enim illum Patri universorum esse, proprie Verbum et virtutem ex eo genitum, atque postea hominem natum ex Virgine, ut ex commentariis didicimus, iam antea demonstravi«. MG 6, 721 A; Otto, II, 371 C.

hisce sequitur, etiam in c. 45, 4 Iustinum, cum de »i l l a Davidici generis Virgine« loquitur, non solum textum Isaianum respicere, sed etiam duos alios locos sui *Dialogi* (nempe 23, 3 et 43, 2), in quibus Virginis – Matris mentionem fecerat, et imprimis textus Novi Testamenti, qui eius fidei firmissimum fundamentum fuerunt.

2. Responsum sufficiens ad alteram obiectionem et asserta R. P. G., quae versantur circa fontem biblicum dicti Iustini: »ut... *serpens ille, qui ab initio improbe egit, et assimilati ei angeli profligentur*«, habetur in *Collectaneis*, ubi fuse egeramus – occasione c. 100 – imprimis de locutione »*assimilati ei angeli*«. <sup>19)</sup> Cuius locutionis momentum pro sua opinione R. P. G. non animadverterat in suo priore opere, <sup>20)</sup> sed nos difficultatem praeoccupavimus et solvimus, monstrando e comparatione cum aliis textibus Iustini, recursum ad Gen 3, 15 non esse necessarium, et indicando verum fontem illius dicti in *Dialogi* c. 45 esse I Io 3, 8. Supponendo ea omnia, quae illic proposuimus et nunc sustinemus, in praesenti ad argumenta et modum argumentandi R. P. G. animum appellemus.

Primum, nescio quo iure R. P. G. asserat, nos verba Iustini »ab initio, τὴν ἀρχήν« intellegere de initio historiae angelicae, »ab initio creationis suae«. Nullam occasionem ad tale assertum statuendum dedimus, intelleximus agi de initio humani generis seu de rebus in paradiso gestis, neque aliter Iustinus intellegi potest, ut mox occasione c. 100 *Dialogi* demonstrabimus.

Tamen ex altera parte etiam S. Ioannes in 1 Io 3, 8 verba »ab initio, ἀπ' ἀρχῆς« intellegit verisimillime de rebus in paradiso gestis, ut monstrat comparatio cum Io 8, 44 et suadet contextus. <sup>21)</sup> Ideo ex hac parte nihil obstat, quominus verba Iustini allusionem ad 1 Io 3, 8 contineant.

<sup>19)</sup> *Coll. Theol.*, a. c., 327 – 331.

<sup>20)</sup> *Interpretatio mariologica Protoevangelii... usque ad Conc. Trident.*, 13 p.

<sup>21)</sup> Cf. A. Charue, *Les Épîtres Catholiques*, 3, Paris 1951, 538; R. Schnackenburg, *Die Johannesbriefe*, Freiburg 1953, 168. Hic ita ait: »Der Teufel wurde Joh 8, 44 als »Menschenmörder von Anfang an« und »Vater der Lüge« bezeichnet; in unserem Vers heisst es dem Zusammen-

Istam allusionem renuit R. P. G. agnoscere propter differentias, quae adsunt inter verba Iustini et verba citata Ioannis, quas differentias sequenti »synposi« ostendit, postea evolvendas:

*Iustinus*

*1 Io 3, 8*

serpens	diabolus
improbe egit	peccat
profligetur	dissolvat
serpens et assimilati ei angeli	opera diaboli <sup>22)</sup>

Aequitatis servandae gratia conduxisset non solas differentias inter utrumque textum afferre, sed ea quoque, in quibus illi textus conveniunt et quae multo insigniora sunt. Sed contineamus nos interim istis differentiis.

1-o Quantum ad *serpentem*, R. P. G. concedit nobis<sup>23)</sup> hoc esse consuetum nomen diaboli apud Iustinum, sed negat, »quod »serpens« etiam in hoc loco potius diabolum Ioannis, quam »serpentem« tertii capituli Geneseos significat<sup>24)</sup>. Secundum ea, quae supra sunt dicta, ista oppositio nullum fundamentum habet, quia »diabolus« in 1 Io 3, 8 est serpens paradisiacus. Ceterum cf. etiam Apoc 12, 9; 20, 2.

2-o Secunda differentia (»improbe egit« – »peccat«) etiam iuxta R. P. G. videtur non esse magni momenti, quia non in istis praedicatis insistit, sed in adiecta locutione adverbiali »ab initio«; dicit autem nostram solutionem tunc tantum admitti posse et debere, si τὴν ἀρχήν Iustini eundem sensum habet ac ἀπ'ἀρχῆς 1 Io 3, 8.<sup>25)</sup> Conditio, a R. P. posita, est a nobis modo

---

*hang nach allgemein, das er von Anfang an sündigt. Ein Vergleich mit Joh 8, 44 legt nahe, bei dem »Anfang« an die Paradiesesgeschichte zu denken. Der Schöpfungsanfang, als ob der Teufel der dualistische Gegenspieler Gottes wäre, muss ausscheiden: der Gegenpart ist Christus«.*

<sup>22)</sup> Gallus, l. c., 11.

<sup>23)</sup> Cf. *Collect. Theol.*, a. c., 330.

<sup>24)</sup> Gallus, l. c., 12.

<sup>25)</sup> Ibidem: »Solutio ista (de identitate utriusque locutionis: *improbe egit* et *peccat*) dependet a significatione verborum »ab initio«, »τὴν ἀρχήν«. Si τὴν ἀρχήν significat »initio creationis suae«, sicut Cl. Auctor supponit, identitatem significationis »ab initio« in utroque loco concedere debemus cum omnibus suis consequentiis, nempe Iustinum in hoc loco non alludere ad Gen. 3, 15 sed ad 1 Io. 3, 8«.

verificata, quamquam aliter ac R. P. suggererat. Proinde ambae locutiones idem exprimere dicendae sunt.

3-o Multo infelicior est tertia differentia: *profligentur* et *dissolvat*. R. P. G. contentus est, quod utrumque terminum secundum versionem latinam allegavit, in qua non parum differunt. Sed in textibus graecis legimus: apud Iustinum καταλυθῶσι, veniens a καταλύω *destruo, profligo*; in 1 Io 3, 8 autem λύση, veniens a λύω, quod originaliter quidem significat *solvo*, sed inde evolutae sunt significationes: *in patres dissolvo, destruo; rescindo, aboleo, rei finem impono*.<sup>26)</sup> Vox est praedilecta a S. Ioanne,<sup>27)</sup> etiam in sensu translato destruendi, abolendi, quem in 1 Io 3, 8 quoque habet.<sup>28)</sup> Itaque ambo praedicata non solum non sunt differentia quoad sensum, sed ex eadem radice sunt formata, solummodo praedicatum Iustini magis praeciso modo ideam destruendi exprimit. Praeter adverbialem locutionem τὴν ἀρχὴν et ἀπ'ἀρχῆς, istae duae voces sunt maxime firmum pignus, quod Iustini dictum a 1 Io 3, 8 dependet, nedum ab eo removetur.

4-o Quarta denique differentia dicitur esse in eo, quod obiectum »profligationis« apud Iustinum est »serpens et assimilati ei angeli«, obiectum vero »dissolutionis« in 1 Io 3, 8 sunt »opera diaboli«. In *Collectaneis* dixeram et demonstraveram haec quoad rem coincidere.<sup>29)</sup> R. P. G. censet nostram explanationem esse »artificialem«, e contra »serpentem et assimilatos ei angelos' quoad rem simplicius coincidere cum 'serpente' eiusque 'semine' in Protoevangelio«. <sup>30)</sup> Quamquam opinionem nostram contra obiectionem »artificii« efficaciter defendi

---

<sup>26)</sup> Cf. Fr. Zorell S. I., *Lexicon graecum N. T.* 2, Parisiis 1931, col. 785; W. Bauer, *Griechisch-deutsches Wörterbuch zu den Schriften des N. T.*, 4, Berlin 1952; G. Abbott-Smith, *A Manuel Greek Lexicon of the New Testament*, Edinburgh 1944, 274.

<sup>27)</sup> Cf. R. Schnackenburg, *Die Johannesbriefe*, 198.

<sup>28)</sup> Cf. Zorell, Abbott-Smith, Bauer, l. c.; A. Charue, l. c., 538; R. Schnackenburg, l. c., 168: »Die Werke zerstören, zunichte machen« (λύειν) meint eine ähnlich radikale Beseitigung wie V. αἴρειν.

<sup>29)</sup> *Collect. Theol.*, a. c., 331.

<sup>30)</sup> Gallus, l. c., 13.



posse censemus, nolimus tamen in hoc insistere, ne in minutis tempus insumatur; potius alio modo rem proponimus.

Imprimis duo notamus: 1) Non semper illud, quod simplicius primo obtutu esse videtur, est etiam verum. Ad simplices veritates probandas saepe complicata ducit via. 2) Non obstantibus quibuscumque secundariis differentiis inter utrumque textum, debet admitti Iustinum in c. 45 revera 1 Io 3, 8 prae oculis habere, ob has praecipue rationes: a) eadem est in *Dialogi* c. 45 et in 1 Io 3, 8 indoles generalis peccaminosae diaboli operationis: »improbe egit« – »peccat«, omissa mentione modi concreti, quo peccatum ab eo commissum est, v. g. »decepit Evam«, ut habetur in *Dialogi* c. 79, 4;<sup>31)</sup> b) duae adsunt summopere conspicuae analogiae verbales: τὴν ἀρχὴν – ἀπ' ἀρχῆς ac λύση – καταλυθῶσι, quas casu ortas esse nemo dixerit.

Differentia vero inter »opera diaboli« (1 Io 3, 8) ac »serpentem et assimilatos ei angelos« (Iustinus) hoc modo explicatur. Iustinus hoc loco non stricte citat verba 1 Io 3, 8, sed tantum libere refert hunc textum, ac proinde licitum ei erat mentem ibi expressam verbis sive propriis, sive ex aliis locis S. Scripturae depromptis edicere. De diabolo vero a Christo destruendo Iustinus noverat classicum textum ex Evangeliiis, ubi Christus ipse homines in ultimo iudicio a sinistris stantes sic se allocuturum esse annuntiat: »Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius« (Mt 25, 41). Hunc textum Iustinus manifeste indicat, ubi prima vice de serpente-diabolo loquitur:

Apud nos enim princeps malorum daemonum serpens vocatur et Satana et diabolus (cf. Apoc 12, 9), ut potestis e litteris nostris scrutando perspicere. Hunc Christus praemonstravit cum ipsius exercitu et assectantibus hominibus in ignem missum, ut in infinitum aevum excrucientur.<sup>32)</sup>

Notatu dignum est in verbis Christi apud Mt homines primo loco poni et directe sententia iudiciali attingi, »diabolum« vero et »angelos eius« solummodo connotari tamquam eos,

---

<sup>31)</sup> MG 6, 663 A; Otto, II, 286 A.

<sup>32)</sup> *Apologia* I, 28, 1, MG 6, 371 B; Otto, I, 87 B.

quibus poena ignis primum destinata erat. E contra Iustinus primum »principem malorum daemonum« damnandum recolit, posteriore vero demum loco »exercitum eius et assectantes (ἐπομένων) homines«; et quidem non ideo tantum, quod de principe malorum daemonum praecise ei sermo erat, sed etiam quia eum considerat tamquam illum, a quo omne peccatum in mundo originem ducit<sup>33)</sup> et qui omnes malos dirigit: angelos nimirum, qui eius »exercitus« sunt, homines vero, qui eum ultro sequuntur (»assectantibus«).

Porro illos omnes, cum angelos tum homines, qui principem daemonum (serpentem, diabolum, Satanam) sequuntur atque ad eius exemplum peccata perpetrant, in *Dialogo* voce a se, si non primum formata,<sup>34)</sup> saepem saepe adhibita, appellat »serpenti assimilatos«, prout ex opposito in *Apologia I* loquitur de »bonorum angelorum exercitu«, »qui illum (i. e. Christum) assectantur eique assimilati sunt«.<sup>35)</sup>

Et sic facillime et modo simplici solvitur quaestio de origine illius dicti de assimilatis serpenti angelis in c. 45, 4, de angelis vero et hominibus in c. 100, 6. Nihil aliud hic habemus nisi textum 1 Io 3, 8 libere relatum; licentia autem, quam auctor sibi vindicat, in eo imprimis consistit, quod pro »operibus diaboli« a Christo destruendis (λύση), quod utique per aliquod iudicium fit, ponit ipsum diabolum cum suis angelis (et hominibus, in c. 100) secundum classicum textum de iudicio, qui habetur in Mt 25, 41 et quem Iustinus simili modo iam alibi ad suum scopum adoptaverat.

Haec, ni fallimur, nituntur argumentis ita solidis, ut iis secure acquiescere liceat, ac proinde recursus ad Gen 3, 15

<sup>33)</sup> Cf. infra ad c. 100 dicenda.

<sup>34)</sup> De probabili origine istius vocis cf. *Collect.*, a. c., 330, n. 23.

<sup>35)</sup> *Apologia I*, 6, 2; MG 6, 335 C; Otto I, 23 C. Hic est unicus locus extra *Dialogum*, ubi Iustinus adhibet vocem ἐξομοιοῦσθαι. In *Dialogo* vero praeter duos locos, in quibus de iudicio loquitur, adhibet hanc vocem de posteris Abrahae, »assimilatis Abrahae fidei« (c. 44, 2); de hominibus, qui »Adae et Evae assimilati mortem sibi conficiunt« (c. 124, 4); de proselytis iudaicis, qui »in omnibus assimilari vobis conantur« (c. 122, 2). Plura vide in *Collect.*, a. c., 327–332.

non potest iustificari, nisi aliunde probetur Iustinum hunc textum christologice interpretatum esse, atque ostendatur allusionem ad Gen 3, 15 melius rem explicare quam in nostra explicatione, quod certo a R. P. G. non est factum.

## II. *Dialogi* c. 100, 4 – 5.<sup>36)</sup>

### Textus Iustini:

(Christum Filium Dei esse dicimus) et ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium percipisset, nuntianti angelo Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum et virtutem Altissimi ei obumbraturam, ideoque id quod nasceretur ex ea sanctum, esse Filium Dei, respondit: »Fiat mihi secundum verbum tuum«. Ex hac ille genitus est, de quo tot Scripturas dictas esse demonstravimus, per quem Deus serpentem, eique assimilatos angelos et homines profligat; eos autem qui prave factorum poenitentiam agunt et in eum credunt, a morte liberat.<sup>37)</sup>

### A.

Antequam ad discutienda argumenta R. P. G. accedimus, opportunum ducimus decernere, de qua »inobedientia« Iustinus loquatur in ista propositione »qua via initium orta a serpente inobedientia accepit«: de inobedientia primorum parentum in paradiso, an vero generatim de peccato regnante in mundo. R. P. G. supponit primum; utrum recte, videamus.

1. Textus graecus ita sonat: δι' ἧς ὁδοῦ ἢ ἀπὸ τοῦ ὄφραως παρακοῆ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε. Vox παρακοή occurrit apud Iustinum quater, et quidem tantum in *Dialogo*.<sup>38)</sup> Bis venit in c. 100, nimirum praeter supra dictum textum (100, 4), in immediate sequenti propositione (100, 5):

<sup>36)</sup> Cf. St. Styś, *Collect. Theol.*, a. c., 328–332; T. Gallus, l. c., 13 – 16.

<sup>37)</sup> *Dialogus*, 100, 4 – 5; MG 6, 709 – 712; Otto, II, 358 CD.

<sup>38)</sup> Cf. E. J. Goodspeed, *Index apologeticus*, Leipzig 1912, 214.

Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto *inobedientiam et mortem peperit*.

Deinde c. 112, 3:

...neque enim Deum derelinquens (Moyses serpentem aeneum erigens), populo auctor erat, ut in fera, *per quam praevaricatio et inobedientia initium acceperant*, ἐπὶ θηρίου δ' οὐ ἡ παράβασις καὶ παρακοή τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, spem constitueret.<sup>39)</sup>

Denique c. 124, 3:

In Septuaginta autem interpretatione dictum est: »Ecce sicut homines morimini, et sicut unus de principibus caditis«, ut *inobedientiam hominum declaret, id est Adae et Evae*, et casum unius e principibus, id est illius qui serpens dictus est, ac magno casu concidit, eo quod Evam decepisset.<sup>40)</sup>

In ultimo textu (124, 3) loquitur Iustinus manifeste de peccato particulari, nempe de primorum parentum lapsu in paradiso. De c. 100, 5 mox tractaturi sumus. Nunc vero maximi momenti est nobis c. 112, 3, qui textus perfecte parallelus est ad textum in c. 100, 4, de quo agimus. Nimirum commune est utrique textui, quod *per serpentem (feram) inobedientia initium accepit*, τὴν ἀρχὴν ἔλαβε. Porro »initium« in c. 112 non potest referri ad solum peccatum inobedientiae commissum ab Ada et Eva, quia nulla erat ratio distinguendi inter initium huius inobedientiae, proveniens ab Eva, et eius consummationem ab Ada, quorum nulla facta est mentio; sed significat initium inobedientiae seu rebellionis contra Deum per peccatum, quod inde a paradiso per totam humani generis seu potius creaturarum rationalium historiam protenditur.<sup>41)</sup>

Quae conclusio corroboratur adhuc sequentibus observationibus.

Vocem *παρακοή inobedientia* antecedit synonyma vox *παράβασις praevarictio*, atque articulus, qui semel tantum initio positus utramque vocem in unum conceptum iungit, eumque insuper quasi personificat ad modum ἡ ἁμαρτία in Rom 5, 12 ss. (forsitan etiam 1 Cor 15, 56). Prout itaque ἡ ἁμαρτία,

<sup>39)</sup> MG 6, 733 C; Otto, II, 398 B.

<sup>40)</sup> MG 6, 765 A; Otto, II, 446 D.

<sup>41)</sup> Vide inferius.

quae »per unum hominem in mundum intravit et per peccatum mors« (Rom 5, 12), est peccatum aliquod generaliter consideratum, similiter etiam »praevaricatio et inobedientia« in c. 112 videtur esse peccatum universaliter regnans in mundo.<sup>42)</sup> Maioris momenti est, quod duae illae voces coniunctae παράβασις καὶ παρακοή semel tantum veniunt in Novo Testamento, in Hebr 2, 2, ibique designant peccatum in genere: »Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia, πᾶσα παρὰβασις καὶ παρακοή. accepit iustam mercedis retributionem...«. Probabiliter inde Iustinus illam compositam locutionem ac cum ea generalem conceptus peccati extensionem mutuavit.

Addamus praeterea locutionem ἀρχὴν λαμβάνειν *initium sumere* extra duos illos textus parallelos (cc. 100 et 112) occurrere apud Iustinum bis tantum, nempe in *Dialogi* cc. 67, 7 et 113, 7 et in utroque loco agi de initio alicuius institutionis, nimirum a) institutionum Mosaicarum in genere<sup>43)</sup> et b) unius institutionis, i. e. circumcisionis.<sup>44)</sup> Nostri duo textus (cc. 100 et 112) secundum interpretationem, quam dedimus, id habent cum istis duobus textibus commune, quod locutio »initium sumere« refertur ad aliquod obiectum duraturum, quod nimirum in historia perseverat aut repetitur. Inde apparet interpretationem hanc conformari usui illius locutionis apud Iustinum. Sed non apud Iustinum tantum. Nam circumlocutio illa ἀρχὴν λαμβάνειν, prout etiam alia similis ἀρχὴν ποιεῖν et locutiones Latinae correspondentes »initium sumere« aut »initium facere«, propter solemnitatem et gravitatem quandam, quae ei inest, natura aliquid permanens aut diutius duraturum respicere sentiuntur, non vero factum aliquod uno aut duplici actu

---

<sup>42)</sup> Non asserimus tamen Iustinum intellegere peccatum originale, quod videtur fere extra eius ideologiam positum esse, cf. G. Bardy in *DTC* VIII, 2268.

<sup>43)</sup> »Quaecumque Scriptura demonstrat initium institutionis a Moyse accepisse,« *Dialogus*, 67, 7: MG 6, 632 A; Otto, II, 238 A.

<sup>44)</sup> »Qui circumcisionem ab Abrahamo initium ducentem hebebant« *Dial.*, 113, 7: MG 6, 737 B; Otto, II, 404 B.

terminandum. Et hoc modo solent hae locutiones adhiberi ab auctoribus et profanis et ecclesiasticis.<sup>45)</sup> Optime igitur τὴν ἀρχὴν ἔλαβε in c. 112 refertur ad peccatum in mundo inde a paradiso regnans, minus bene autem, si solum peccatum primorum parentum respicit.

2. Cum itaque talis sit sensus illius »inobedientiae« in c. 112, idem in parallelo textu c. 100, 4 adesse supponendum est. Et revera iste sensus hic adest, quia a) contextus eum postulat; b) nihil est, quod eum impediat; c) eo supposito tota illa ultima pars c. 100 cohaerenter explicatur.

a) Generalem acceptionem vocis »inobedientia« in principio retorsionis, quod in c. 100, 4 habetur, postulat contextus. Nam 1<sup>o</sup> In toto contextu nulla fit mentio inobedientiae vel immo personae Adae. 2<sup>o</sup> Verbis »initium accepit, τὴν ἀρχὴν ἔλαβε« respondent tamquam correlativa verba in fine propositionis posita »(ut) dissolutionem (seu abolitionem aut finem) acciperet, (ἵνα) κατάλυσιν λάβῃ«. Itaque non actus primus secundo actui aut sequentibus opponitur, sed initium opponitur fini,<sup>46)</sup> inauguratio inobedientiae eius abolitioni; »inobedientia«, vero inter extremos illos chronologicè distantes terminos extenditur et durat. 3<sup>o</sup> Accedit illud, quod supra diximus, nempe quod locutio ἀρχὴν λαμβάνειν ad aliquid diutius duraturum putatur referri, non vero ad aliquid, quod uno vel duplici actu mox terminatur. 4<sup>o</sup> Denique abolitio, κατάλυσις, inobedientiae, de qua est ibi sermo, eo in effectum deducitur, quod Christus e Virgine Maria natus aufert seu destruit et serpentem, a quo inobedientia est orta, ἡ ἀπὸ τοῦ ὄφεως παρακοή, et illos omnes angelos et homines, qui facinoribus suis serpenti assimilati sunt, seu omnes peccatores, qui »inobedientia« comprehenduntur. Cum igitur abolitio inobe-

---

<sup>45)</sup> Cf. H. Stephanus, *Thesaurus graecae linguae*, I, 2, Parisiis 1831–56, col. 2108 s.

<sup>46)</sup> Notandum est vocem κατάλυσις induere etiam significationem »finis, exitus«, v. g. finis belli, convivii, vitae. Cf. H. Stephanus, *Thesaurus graecae linguae*, IV, 1135; Fr. Passow, *Handwörterbuch der griechischen Sprache* <sup>5</sup>, I, 2, 1628.

dientiae omnia peccata seu omnes peccatores respiciat, per initium inobedientiae initium totius peccatorum seriei, quae lapsum paradisiacum secuta est, cum ipso lapsu, intellegere necesse est.

b) Nihil est, quod huic acceptioni officiat.

1) Non officit, quod illa »inobedientia« seu peccatum omnium, etiam angelorum, a serpente qua instigatore facinoris in paradiso patrati originem ducit. Nam secundum Iustinum primum peccatum quod in mundo apparuit, erat peccatum paradisiacum. Nimirum Iustinus loquitur de »casu unius e principibus, id est illius, qui serpens dictus est, ac magno casu concidit, eo quod Evam decepisset«. <sup>47)</sup> Ceteri vero angeli mali sunt imitatores serpentis, <sup>48)</sup> et peccatum eorum secundum Iustinum erat copulatio cum feminis iuxta narrationem Gen 6, 4 in hunc sensum intellectam. <sup>49)</sup>

2) Ideo quoque non officit, quod Eva peperit hoc modo intellectam »inobedientiam«, cum secundum Iustinum Evae facinus fuerit primus actus formalis transgressionis praecepti divini, dum serpens eius moralis auctor esse exhibetur, eo quod Evam seduxit. <sup>50)</sup>

3) Denique non officit, quod in eodem contextu, i. e. in immediate sequenti propositione παρακοή particulare peccatum inobedientiae videatur significare: »Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto inobedientiam et mortem peperit«. Nam etsi hoc verum esset, licitum erat Iustino a generali sensu vocis ad particularem eius significationem in decursu sermonis transire. Revera tamen etiam in hac propositione παρακοή generalem significationem retinet. Quod patet e sequentibus: 1<sup>o</sup> Est haec vox abstracta

---

<sup>47)</sup> *Dialogus* 124, 3: MG 6, 765 A; Otto, II, 446 B.

<sup>48)</sup> *Ibidem* cc. 45.100 in textibus supra citatis.

<sup>49)</sup> *Apol. II*, 5, 3. *Apol. I*, 5, 2: MG 6, 451 B; 335 A; Otto, I, 210 B. 18 E. Iustinus cum quibusdam aliis scriptoribus sequitur hic interpretationem apocryphi libri *Henoch*, cf. Otto, I, 210, n. 6.

<sup>50)</sup> *Dial.*, 124, 3: MG 6, 765 A; Otto. II, 446 D.

et sine articulo posita, quod frequens est, cum de substantivis abstractis in sensu generali adhibitis agitur.<sup>51)</sup> 2<sup>o</sup> Est haec vox coniuncta cum altera voce *Θανατος*, quae generalem significationem habet, non enim de particulari casu mortis agitur, sed de morte, quae abhinc super homines est regnatura.<sup>52)</sup> Simili modo eadem vox repetitur in fine antitheseos, ubi Christus inobedientiam auferens, eos qui in se credunt, a morte liberat. 3<sup>o</sup> Haec significatio non excluditur eo, quod inobedientiae ab Eva partae opponitur obedientia Mariae in Annuntiatione, seu obedientia particularis. Nam inobedientia ab Eva parta inobedientiam quidem in genere significat, sed »partus« ipse in eo consistit, quod Eva personalem actum inobedientiae commisit. Ideo revera particularis actus obedientiae Mariae particulari actui inobedientiae Evae opponitur. Sed »partui« inobedientiae ab Eva perfecto non opponitur a Iustino »partus obedientiae« apud Mariam, quamquam actus, quo voluntati Dei Maria se subiecit, ab eo refertur. Quod artificium litterarium, per quod factum est, ut antithesis formaliter non esset ad finem perducta, potius comprobatur »inobedientiam« ab Eva »partam« generalem significationem induere.<sup>53)</sup>

c) Demum nostra sententia supposita, tota illa ultima pars capitis 100 concinne explicatur. Nimirum in hoc inciso capitis 100, quod nostrae indagacionis obiectum est, notatur illa, quam in *Collectaneis*<sup>54)</sup> vocavimus »inclusionem«, consistens in eo, quod aliquis sermo eadem idea, immo vel etiam voce aut vocibus aperitur et clauditur, ita ut sermo iste compacta unitate donetur. Illius inclusionis in nostro casu signum praecipuum est *καταλεί*, *profligat* seu *abolet*, resumens vocem *κατάλυσιν*, *abolitionem*, initio incisi positam; alterum vero signum

<sup>51)</sup> Cf. F. M. Abel O. P., *Grammaire du grec biblique*<sup>2</sup>, Paris 1927, 125, § 30 c 5<sup>o</sup>.

<sup>52)</sup> R. P. Prokulski ad hoc nostram attentionem direxit.

<sup>53)</sup> Aliter est apud sequentes scriptores, qui in antithesi Eva - Maria construenda Iustini de inobedientia ab Eva *parta* metaphoram non adhibent, sed simpliciter actui inobedientiae Evae actum obedientiae Mariae opponunt.

<sup>54)</sup> *Collect Theol.*, a. c., 327.



est dictum, initio ultimae propositionis collocatum: »*ex hac* – nempe Virgine obediente<sup>55)</sup> – *ille genitus est*«, resumens dictum, quod totum incisum aperit: »*et ex Virgine hominem esse factum*«. Duae ideae illis dictis expressae, virginea nempe Christi origo et abolitio inobedientiae, toti inciso dominantur. Inveniuntur illae in principio retorsionis divinae applicato: »(Christum) *ex Virgine hominem esse factum, ut ...inobedientia... dissolutionem (abolitionem) acciperet*«. Deinde factum virginitatis Matris Christi in annuntiatione existens evolvitur in antithesi Eva – Maria, quae monstrat eandem *viam* (in principio retorsionis divinae notatam) fuisse initii inobedientiae et eius abolitionis, nempe *actum virginis Evae personalis inobedientiae* et *actum Virginis Mariae personalis obedientiae*; item *partum* »Inobedientiae« ex parte virginis Evae atque *partum* Christi e Virgine Maria, operante Spiritu Sancto. Denique in ultima propositione »*Ex hac ille genitus est*« resumitur utraque idea, i. e. virginea Christi origo: »*ex hac* (nempe e Virgine obediente) *ille genitus est*«; et abolitio inobedientiae cum consequente eam morte: »*per quem Deus serpentem et assimilatos ei angelos et homines profligat, eos autem, qui prave factorum poenitentiam agunt et in eum credunt, a morte liberat*«. Abolitioni »inobedientiae« seu peccati, quod angelorum et hominum universam pervadit historiam, correspondet abolitio serpentis eiusque assecularum, et angelorum et hominum, a Deo per Christum effecta.

Sic totum hoc incisum perfecta unitate gaudet, omnes eius partes arcte inter se cohaerent et sese mutuo explicant. E contrario »*si inobedientia*« in principio retorsionis divinae solummodo actus particularis primorum parentum inobedientiae est, unitas illa destruitur, et imprimis connexio logica inter abolitionem inobedientiae in principio retorsionis divinae expressum et abolitionem serpentis, malorum angelorum ac hominum in fine incisi positum aegre explicatur.

<sup>55)</sup> Graecum διὰ ταύτης habet hic vim emphaticam atque effert qualitatem illius personae, de qua sermo erat: »per hanc et talem« seu per hanc virginem; ideo versio latina: »*Et ex hac*« non reddit plene sensum intentum ab auctore.

Itaque firmiter stat, quod »*inobedientia*«, de cuius initio Iustinus in principio retorsionis c. 100 expresso loquitur, non est *inobedientia* particularis tantum, *sed inobedientia seu peccatum, quod totam historiam non solum generis humani, sed etiam angelorum, qui ceciderunt, pervadit et omnes peccatores complectitur.*

3. Quae diximus bene confirmantur a comparatione nostri c. 100 cum parallelo c. 45.<sup>56)</sup> Notatu digna est identitas non solum idearum et vocum sed etiam logicae connexionis et structurae inter utrumque caput. Quod ita graphice praesentari potest:

*Dialogi c. 45*

et *ex illa Davidici generis Virgine nasci sustinuit,*  
*ut per hanc dispensationem serpens ille, qui ab initio improbe egit,*

*(serpens ille) et assimilati ei angeli profligentur (καταλοθῶσι)*

ac *mors contemnatur et in secundo Christi adventu ab his qui in eum credunt et ita vivunt, ut ei placeant, penitus facessat nec iam ulla sit, cum alii quidem in iudicium et condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittentur, alii vero perpeccionis et corruptionis et doloris expertem statum atque immortalitatem consequentur.*

*Dialogi c. 100*

et *ex Virgine hominem esse factum*  
*ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit,*  
*eadem et dissolutionem (κατάλυσιν) acciperet.*

Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis accepto, *inobedientiam et mortem peperit; Maria autem Virgo etc.*

Et *ex hac ille genitus est, de quo tot Scripturas dictas esse demonstravimus,*

*per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligat (καταλύει),*

*eos autem, qui prave factorum poenitentiam agunt et in eum credunt, a morte liberat.*

<sup>56)</sup> Cf. *Collect. Theol.*, a. c., 328 – 332.

In ista textuum comparatione illud est imprimis insigne, quod in utroque textu Iustinus, postquam per Virginem Verbum carnem factum esse asseruit, statim subiungit, quid Deus per hoc intenderit: »ut qua via...« (c. 100), »ut per hanc dispensationem...« (c. 45). In c. 100, quod serius est scriptum, mens auctoris est plenius proposita: primum modo generali finis talis ordinationis divinae enuntiatur: »ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet«; deinde per partes evolvitur cum descriptio utriusque viae, tum abolitionis inobedientiae definitio. C. 45 eo maxime differt a c. 100, quod *non describit viam*, qua inobedientia incepit et qua aboletur, sed viam abolitionis mali *brevissime indicat* verbis: »ut per hanc dispensationem, διὰ τῆς οἰκονομίας ταύτης«; e contra fusius quam c. 100 describit ipsam abolitionem. Nostri hic interest vox »dispensatio«<sup>57)</sup>, οἰκονομία.<sup>57)</sup>

In contextu c. 45 οἰκονομία significat *consilium Dei de assumenda a Verbo natura humana per Virginem Mariam*: »ex illa... Virgine caro factus nasci sustinuit, ut per hanc dispensationem...«. Eadem idea »dispensationis« adhuc clarius proponitur in c. 120, 1:

Non id [benedictio Isaaci et Iacobi a Deo] iam Esau aut Ruben dicit, aut alii cuiquam, sed iis ex quibus Christus secundum illam ex Virgine Maria dispensationem, κατὰ τὴν οἰκονομίαν τὴν διὰ τῆς Παρθένου Μαρίας, oriturus erat.<sup>58)</sup>

Porro hoc modo intellecta »dispensatio« identica est cum »via« abolitionis inobedientiae in c. 100. Quia autem finis »dispensationis« in c. 45 est abolitio serpentis cum suis sequacibus ac credentium in Christum liberatio a morte, quod in c. 100 quoque in applicato et evoluto principio retorsionis adest, inde sequitur eundem ac »dispensationis« esse finem »viae« in c. 100, seu abolitionem »inobedientiae« in hoc capite

---

<sup>57)</sup> De οἰκονομία apud Patres cf. J. Rivière, *Le dogme de la Rédemption. Etude théologique*<sup>3</sup>, Paris 1931, 89 s.; idem, *Rédemption* in DTC 13, 1938 s.; idem, *Le dogme de la Rédemption dans la Théologie contemporaine*, Albi 1948. 137 – 146; F. Vernet, *Irénée* in DTC 7, 2470 – 2475.

<sup>58)</sup> MG 6, 753 B; Otto, II, 428 A.

consistere in abolitione *serpentis cum suis sequacibus*, ac consequenter »inobedientiam« non esse solum actum particularem, sed peccatum generale in mundo regnans.

## B.

Videamus nunc, quomodo R. P. Gallus c. 100 *Dialogi* interpretetur et nostram sententiam oppugnet. Ne quis forte in suspicionem veniat nos aliquod magni momenti dictum R. P. omisisse aut eius mentem falso exposuisse, volumus eius propria verba per partes afferre et mox responsum dare, suppositis utique omnibus, quae superius diximus.

1<sup>o</sup> R. P. G. primum agit de Iustini principio retorsionis, quod supra vidimus, eiusque sensum explanat:

*Sensus*: phrasis Iustini in has resolvitur ideas:

1) a diabolo orta est *inobedientia* protoparentum, quam Iustinus considerat *opus unum adaequatum*, comprehendens igitur inobedientiam utriusque, tum Adae, tum Hevae. Consequenter in illo uno opere adaequato distinguere possumus »*initium*« seu »inchoationem« quod est a Heva, nempe eius inobedientia; et »consummationem«, quod est ab Adam, nempe eius inobedientia. Opus illud adaequatum ratione status, in quem protoparentes induxit, est *subiectio diabolo facta*.<sup>59)</sup>

Respondemus: a) Iustinus agit hic de initio non »unius operis adaequati protoparentum«, sed peccati regnantis in mundo inde a paradiso. b) Actus peccati protoparentum certissime statum subiectionis diabolo induxit, sed Iustinus de isto effectu peccati *hic* non loquitur. c) Quia ista duo asserta fundamentalia sunt pro ceteris sequentibus assertis, lapso fundamento haec quoque asserta ruunt. Sed videamus singula.

2<sup>o</sup> Ecce sequens idea, quam R. P. G. in Iustini principio retorsionis invenit:

2) Christus homo factus est, ut inobedientia, seu subiectio diabolo facta, *dissolutionem* acciperet, id est, ut illi, qui sub potestate diaboli sunt, per Christum liberarentur.<sup>60)</sup>

---

<sup>59)</sup> T. Gallus, l. c., 14.

<sup>60)</sup> Ibidem.

a) Subiectio potestati diaboli, quae in inciso praecedenti erat effectus inobedientiae, hic cum ea identificatur eique substituitur. b) Si liberationem ab hac potestate in mente habuisset Iustinus, non posset explicari, cur deinde loquatur de abolitione non solum serpentis, cuius dominationi homines sunt subiecti, sed etiam assimilatorum ei angelorum et hominum.

3<sup>o</sup> Sequens assertum R. P. G.:

3) Christus ex virgine est homo factus, ut inobedientia eadem via acciperet dissolutionem, qua initium accepit<sup>61)</sup>

est fidelis repetitio verborum Iustini.

4<sup>o</sup> Quae hucusque a R. P. G. sunt dicta, considerantur ab eo esse simplex analysis verborum Iustini; vidimus tamen, quot novis ideis mens Iustini aucta esset. Nunc ex ita perfecta »analisi« deducuntur quaedam conclusiones. Et quidem prima:

Iustinus igitur illis verbis exprimit principium »retorsionis divinae«, iuxta quod *Deus iisdem armis utitur contra diabolum, quibus ille usus est contra Deum*. Consequenter etiam in »dissolutione« inobedientiae *unum opus adaequatum* debemus considerare, in quo nempe debet dari »initium« seu »inchoatio« et »consummatio«. »Initium« seu »inchoatio« dissolutionis inobedientiae eadem via debet fieri, qua »initium« seu »inchoatio« inobedientiae facta est. Principium igitur »retorsionis divinae« a Iustino expressum est principium »*corredemptiologicum*«, quia illas proportionales tribuit B. Virgini in opere redemptionis, quas Heva habuit in opere praevaricationis. Iustinus igitur de B. Virgine edicit id, quod S. Paulus de Christo statuit, antithesim nempe »Eva—Maria« ad modum antithesis »Adam—Christus«. <sup>62)</sup>

Ad haec respondemus: a) Formulae retorsionis divinae a R. P. G. supra propositae ex parte Theologiae nihil potest obici. Tamen nobis agitur non de formula quacumque theologice certa proponenda, sed de mente Iustini recte assequenda; Iustinus vero non loquitur de diabolo iisdem armis, quibus usus est, debellando, sed de inobedientia eadem via, qua ini-

---

<sup>61)</sup> Ibidem.

<sup>62)</sup> Ibidem, 14 s.

tium sumpsit, auferenda. Utique hae ideae sese mutuo non excludunt, sed complent; tamen non licet nobis Iustini formulam deserere, ne periculo exponamur subiciendi auctori ideas, quas hic et nunc exprimere non intendebat. b) Iustinus non loquitur de via initii abolitionis inobedientiae, sed de via, qua ipsa abolitio est perfecta. c) Via, quam R. P. G. ingressus est ad »principium corredemptiologicum« in textu Iustini inveniendum, inefficax est, quia Iustinus in hoc textu non attendit ad inobedientiam qua opus commune et adaequatum protoparentum, ut superius vidimus; ideo praemissa maior ratiocinii funditus labitur.

5<sup>o</sup> Insuper principium istud aequivalenter exprimit sensum christologico - mariologicum Protoevangelii, constituens nempe contra diabolum debellandum inimicam aliquam mulierem artissime coniunctam cum inimico debellatore et triumphatore de diabolo, sicut diabolus triumphavit de Deo per mulierem artissime coniunctam cum homine. Consequenter sensus christologico - mariologicus Protoevangelii est necessario sensus corredemptiologicus.<sup>63)</sup>

De istis assertis haec animadvertenda videntur. Principium retorsionis divinae in se et absolute spectatum nihil dicit de Ada et de Eva neque de Christo et Maria, neque in genere de ulla muliere quidquam continet, nedum de muliere inimica diabolo. Nam ita plus minusve hoc principium formari debet secundum mentem Iustini: »Voluntatis divinae erat, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et abolitionem acciperet«. Si argumentum christologico - mariologicum illi principio adiungitur, tunc non nudum principium retorsionis divinae adest, sed eius applicatio. Etiam ad Gen 3,15 principium istud applicari potest, *si* et *postquam* eius sensus christologico - mariologicus est probatus; sed principium ipsum non est cum Protoevangelio identicum.

Porro applicatio principii retorsionis ad argumentum christologico - mariologicum vario modo fieri potest, nimirum aut modo maxime generali: »Sicut vir et mulier partes habu-

---

<sup>63)</sup> Ibidem, 15.

erunt in lapsu, ita vir et mulier in opere reparationis partes habere debent«, aut modo magis speciali, v. g. »Eva virgo inobedientiam commisit, Maria Virgo obedientiam praestitit«; »Eva virgo serpenti credidit eiusque suggestionem secuta est, Maria Virgo angelo credidit et voluntati Dei se subiecit«; »Eva virgo serpenti amica, Maria Virgo serpenti inimica«; »Eva victa a serpente, Maria serpentem vicit«; Eva virgo causa mortis, Maria Virgo causa salutis« (Irenaeus); »Eva virgo effugit Deum, Maria Virgo portat Deum« (Irenaeus). »Adam a terra virgine est ortus, Christus e Maria Virgine genitus« (Irenaeus); »Eva mater viventium, Maria mater vitae ipsius« (Epiphanius); »Mulier fecit, ut diabolus tyrannide genus humanum occuparet, mulier eum a tyrannide deturbavit« (Chrysippus) et alia similia.

Utique nemo dixerit omnes istas applicationes exprimere sensum christologico - mariologicum Protoevangelii; ideoque R. P. G. illam applicationem elegit, quae argumento christologico - mariologico Gen 3,15 maxime congruit (»mulier inimica debellans diabolum«). Attamen haec non est mens a Iustino in c. 100 expressa. Iustini applicatio principalis, utpote fini, propter quem principium retorsionis posuit, stricte adaptata, est haec: »Sicut Eva virgo initium dedit inobedientiae, i. e. peccato, ita Maria item Virgo genuit Christum, qui inobedientiam abolevit«; secunda vero et in antithesi praecipua applicatio est: »Eva virgo serpenti credidit et Dei mandatum transgressa est, Maria Virgo angelo credidit et Dei voluntati se subiecit«. <sup>64)</sup>

At etiam principium retorsionis ita *applicatum*, ut R. P. G. hoc fecit, <sup>65)</sup> non exigit sensum christologico - mariologicum Protoevangelii, sed ei, si aliunde probatus est, quoad rem ad summum aequivalet.

De conclusione R. P., quae respicit sensum »corredemptiologicum« Protoevangelii, nolumus quidquam dicere, quia tota

---

<sup>64)</sup> Cf. ad haec sobrias considerationes C. Dillenschneider C. SS. R., *Marie au service de notre Rédemption*, Hagenau 1947, 274 – 282.

<sup>65)</sup> Vide textum superius sub eodem n. 5<sup>o</sup>.

haec quaestio non est obiectum nostrae inquisitionis, quae tantum circa id versatur, utrum Iustinus sensum christologico-mariologicum Gen 3,15 admiserit necne.

<sup>60</sup> Iustinus suum principium »retorsionis divinae« deinde evolvit in sua antithesi Eva-Maria, seu in parallelismo perfecto in opposito genere.<sup>66)</sup>

In nota 27 R. P. G. monet, nos in *Collectaneis* p. 326 asserere antithesim Eva - Maria non esse perfectam. Cl. Auctor e contrario conatur ostendere parallelismum illum esse omnibus numeris perfectum. Ad hunc scopum in duabus columnis parallelis ponit dicta Iustini de Eva et de Maria hoc modo:

*Eva*

virgo  
in corrupta  
concipit sermonem diabolicum  
peperit  
inobedientiam  
et mortem

*Maria*

virgo  
in corrupta  
concipit sermonem angelicum, fidem  
peperit  
obedientiam (»fiat«)  
et vitam<sup>67)</sup>

In hoc schemate dicta de Eva sunt quidem fere ad verbum repetita e textu Iustini, de Maria autem sunt ita studiose elaborata, ut perfecta similitudo obtineatur. Nimirum vox »in corrupta« de Maria in textu Iustini non occurrit; »concipit sermonem angelicum, fidem« est omnino inexactum, quia Iustinus dicit: »cum *fidem* et *gaudium* percepisset (seu: concepisset)«, quamquam statim subiungit nuntium angeli, qui conceptae fidei et gaudii causa fuit; denique »peperit – obedientiam (»fiat«) – et vitam« est prorsus excogitatum, nam Iustinus refert quidem responsum Mariae, quo se Dei voluntati subiecit, tamen non vocat hoc *partum* obedientiae et eo minus vitae, dicit vero: »ex hac *ille genitus est...* per quem Deus serpentem... profligat, eos autem qui... in eum credunt, *a morte liberat*«. Nemo crediderit talem compositionem posse »perfectum parallelismum« probare. Imperfectiones in Iustini pe-

<sup>66)</sup> T. Gallus, l. c., 15.

<sup>67)</sup> Ibidem.



rallelismo sunt manifestae, quae vero earum causa fuerit, alibi exposuimus.<sup>68)</sup>

7<sup>o</sup> Deinde R. P. G., postquam monuit Iustinum de identitate viarum loqui sub duplici ratione: ratione identitatis actionis in opposito genere et ratione identitatis status, nempe virginitatis, haec subiungit:

His rationibus Iustinus clavem praebet ad Evam ex Protevangelio excludendam, mulier enim retorsionis divinae *in virginitate* id debet praestare, nempe obedientiam, quod Eva praestitit adhuc *virgo*, in opposito genere nempe inobedientiam.<sup>69)</sup>

Ut istud argumentum valeret ad Evam e Gen 3, 15 excludendam, plura deberent probari et esse certa: 1) quod principium retorsionis divinae identicum sit cum Gen 3, 15 quod supra reiecimus; 2) quod Gen 3, 15 tantummodo vaticinium contineat et nihil amplius;<sup>70)</sup> 3) quod interpretatio Gen 3, 15 de Eva non possit rationabiliter conciliari cum interpretatione

---

<sup>68)</sup> *Collect. Theol.*, a. c., 326. — Parallelismus in Iustini antithesi Eva—Maria comprehendit non solum *statum* utriusque mulieris, nempe virginitatem, et *actus* oppositos inobedientiae et obedientiae, sed etiam conceptionem et generationem, quae, e physica Chrisri conceptione et generatione desumptae, ad »vias« in oppositis directionibus similiore reddendas actibus Evae (nimirum perceptioni sermonis diabolici et obsecutioni) metaphorico modo sunt applicatae, ac deinde reciproce etiam Mariae. Sed in Maria solummodo fidei et gaudii actibus applicata est metaphora conceptionis, non vero obedientiae metaphora generationis, propter duas rationes: a) quia Maria *physice* genuit Christum, a qua generatione omnes istae metaphorae apud Iustinum originem ducunt; haec sola ratio tamen forte non officeret *metaphoricae* generationi obedientiae, sed praeterea b) ratio praecipua est haec: dum Eva »inobedientiam peperit«, quod »initium« seu introductionem peccati in mundo abhinc regnantis significat, idem analogice de obedientia Mariae Iustinus non intendit dicere, quia *introductioni* »inobedientiae« seu peccati in mundum (angelicum et humanum) apponit *abolitionem obedientiae*, quae est opus Christi, cf. ea, quae supra dicta sunt sub A, 2, b. Secundum Iustinum itaque »retorsio« divina in eo consistit, quod Eva virgo »inobedientiam«, i. e. peccatum in mundo regnans, peperit, Maria Virgo vero genuit Christum, qui istam »inobedientiam« abolet.

<sup>69)</sup> Ibidem.

<sup>70)</sup> Cf. dicenda infra de *Dialogi* c 102, sub n. 4.

mariologica, dum v. g. Irenaeus et Epiphanius haec conciliant<sup>71)</sup>, similiter multi exegetae recentiores; 4) quod Gen. 3, 15 supposita interpretatione mariologica necessario referatur ad actum *obedientiae* Mariae in annuntiatione aut ad quemlibet alium obedientiae actum. Quia vero omnes istae conditiones a R. P. G. non sunt adimpletae, conclusio ab ec deducta ruit.

8<sup>o</sup> Ulterior conclusio R. P. G. vult a Gen 3, 15 omnem collectivam interpretationem remove: Immo principium «retorsionis divinae» ab eo expressum clavem dat ad excludendum etiam sensum christologicum *collectivum* in Protoevangelio. »Retorsio divina« enim exigit obedientiam *unius* mulieris et *unius* hominis.<sup>72</sup>

Putamus R. P. in mente hic habere sententiam a quibusdam receptam, secundum quam »semen mulieris« designat Christum cum suo corpore mystico. Hanc sententiam defendere minime intendimus, tamen quasdam observationes methodicas liceat nobis proponere.

Principium »retorsionis divinae« ideo quod a Iustino est prolatum, non est dogma fidei. Ut ex hoc principio conclusiones theologicae certae possent deduci, oportuit primum ostendere, quae theologica indoles, status certitudinis et extensio huic principio competerent. Valde dubitamus, an principium istud tanta extensione gaudeat, ut unicuique elemento in historia lapsus protoparentum aliquod analogon in reparatione debeat respondere. Non licet itaque coniecturis inniti, sed e fontibus revelationis oportet argumenta trahere. Timeo R. P. G. alia principia sequi, ideoque eius argumenta solido fundamento carere. Praeterea R. P. hic quoque falso supponit principium »retorsionis divinae« et Protoevangelium esse unum idemque.

Quod vero attinet ad collectivum sensum alio modo intellectum, quod nempe »semen mulieris« et totum genus

---

<sup>71)</sup> Cf. St. Styś T. J., *Egzegetyczne podstawy tłumaczenia maryjnego Rodz. 3, 15*, Lublin 1949, 27–32. 102–105; R. Laurentin, *L'interprétation de Genèse 3, 15 dans la Tradition jusqu'au début du XIII e siècle*, »Études mariales« 12 (1954) 93–97. 119 (3). 140 (191).

<sup>72)</sup> T. Gallus, l. c., 15.

humanum ab Eva descendens et Christum significat, hoc est a multis Patribus et scriptoribus ecclesiasticis receptum, etiam ab iis, qui principium »retorsionis divinae« clare statuunt.<sup>73)</sup> Ceterum secundum interpretationem, quam ipsi proposuimus,<sup>74)</sup> *unus* est Christus, qui qua repraesentans generis humani diabolum vincit, et *una* est Maria, »seminis« individualiter sumpti Mater, quod utique non excludit, immo postulat, ut »mulier« primo loco et imperfecto modo sit Eva, »semen mulieris« vero genus humanum, cuius nomine Christus de diabolo triumphat.

9<sup>o</sup> Ultima conclusio R. P. G.

Ex antithesi Eva-Maria in retorsione divina fundata sequitur, quod quicumque asserit antithesim istam, *implicitè* et *obiective* asserit sensum christologico-mariologicum Protoevangelii, quem retorsio divina adaequat.<sup>75)</sup>

est culmen insolitae dialecticae R. P. Conclusio haec nititur illis assertis R. P., quae superius sub n. 5<sup>o</sup> retulimus. Illic quoque responsum est praeoccupatum.

R. P. G. terminat quadam restrictione:

Utrum etiam subiective id asserat, hoc diiudicandum est ex circumstantiis. Ideo considerare debemus adhuc quaestionem, unde Iustinus ideam suam de retorsione divina hauserit.<sup>76)</sup>

Itaque R. P. fatetur argumenta ab eo hucusque allata non probare Iustinum conscie sensum christologico-mariologicum Protoevangelii statuisse. Eo maiore cum attentione sequentes considerationes R. P. scrutari debemus, quas colligit sub titulo »Allusio«.

10<sup>o</sup> Primum venit quaedam nota introductoria R. P.:

*Praenotanda.* Ex identitate obiectiva retorsionis divinae cum sensu christologico-mariologico Protoevangelii sequitur

---

<sup>73)</sup> E documentatione a R. Laurentin allata in a. c., 116-156, sequitur, id debere dici saltem de sequentibus: Irenaeus (3), Optatus Milevitanus (16), Ambrosius (18), Hieronymus (28), Rupertus Tuitiensis (85.83c), Philippus de Harveng (114 a), Ephrem (170), Epiphanius (191).

<sup>74)</sup> *Egzegetyczne podstawy*, 92-106.

<sup>75)</sup> T. Gallus, a. c., 15.

<sup>76)</sup> *Ibidem*, 15 s.

antithesim S. Pauli »Adam - Christus« in Ro. 5, 12. 18 obiective esse inadaequatam expressionem sensus christologico - mariologici Protoevangelii. Aliis verbis: eo, quod aliquis probavit Iustinum suam ideam de antithesi »Eva - Maria« sumpsisse ex antithesi »Adam - Christus« S. Pauli, nondum probavit, quod Iustinus non viderit in Protoevangelio antithesim inadaequatam S. Pauli quam ipse adaequate, etiam ad »Eva - Mariam« extendit.<sup>77)</sup>

Ista consideratio eo ipso refellitur, quod fundatur in obiectiva identitate principii retorsionis divinae cum sensu christologico-mariologico Protoevangelii, quam superius reiecimus.

In quantum vero ista consideratio contra nos est directa, irrita est propter duas rationes: a) quia non de Iustino agentes de hoc argumento tractavimus, sed de Irenaeo; b) quia filum nostrae argumentationis quantum ad originem antitheseos Eva-Maria apud Irenaeum<sup>78)</sup> est falso a R. P. relatum. Nam nullibi probamus antithesim Eva-Maria non esse ortam e Protoevangelio eo tantum, quod Irenaei antithesis Eva-Maria dependet ab antithesi Adam-Christus in epistula ad Romanos<sup>79)</sup> quod nimis puerile esset; sed probamus eo, quod dependentia antitheseos Eva-Maria a Protoevangelio nullum fundamentum invenit in Irenaei interpretatione Gen 3,15,<sup>80)</sup> quod deinde accuratius evolvimus.<sup>81)</sup>

II<sup>o</sup> Nunc sequitur illud, quod in hac particula commentationis R. P. G., i. e. de *Dialogi* c. 100, est maximi momenti, nimirum probatio, cur ultima propositio istius capitis: »Ex

---

<sup>77)</sup> Ibidem, 16.

<sup>78)</sup> *Coll. Theol.*, a. c., 341-348.

<sup>79)</sup> Ibidem, 346. 347.

<sup>80)</sup> Ibidem, 346

<sup>81)</sup> Ibidem, 347. En nostrae duae primae conclusiones: »tribus Irenaei antithesibus »Eva-Maria«, nimirum *Adv. haer.* III, 22, 4; V, 19, 1; *Ad demonstr. apost. praed.* 33, nullum adest elementum, quod e Gen 3,15 venire probetur, immo aliquod elementum deest, quod exspectari debuit, si illa antithesis necessario nexu cum Protoevangelio necteretur. 2<sup>o</sup> Antithesim Eva-Maria« construit Irenaeus dependenter ab antithesi »Adam-Christus« prout a S. Paulo in epistula ad Romanos est proposita et ab ipso Irenaeo evoluta ac cum idea »recapitulationis« coniuncta«.

hac ille genitus est...« allusionem ad Gen 3, 14 contineat. Quattuor rationes a R. P. afferuntur:

1) »Ex hac« id est, ex muliere Evae opposita. Sed iuxta Iustinum mulier Evae opposita, est opposita diabolo. Sensus igitur verborum »ex hac« secundum mentem Iustini est: »ex hac, quatenus antithesis, quatenus retorsio divina«, i. e. »mulier divinitus inimica serpenti«. <sup>82)</sup>

Dolendum sane est, quod etiam hic Cl. Auctor potius propriis ideis indulget, quam genuinam mentem Iustini exquirere conatur. In Iustini antithesi Eva—Maria apparet quidem oppositio inter serpentem et angelum Gabrielem, sed ad oppositionem inter Mariam et serpentem ne uno quidem verbo allusio fit. Propria antitheseos est tantum oppositio inter Evam et Mariam. Verumtamen non hoc vult efferre Iustinus emphatice in capite propositionis collocans »ex hac« seu potius per hanc, διὰ ταύτης«. Nam antithesis non erat Iustino finis, sed simul cum principio retorsionis divinae, cuius est partialis applicatio, debuit ei servire qua medium ad demonstrandum, cur e *Virgine* Christus natus esset: »... et ex *Virgine* (seu: per Virginem) hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet«. »Ex hac (per hanc)« conectit ultimam propositionem c. 100 cum illo praecise »ex Virgine (per Virginem)«, ad quae verba Iustinus principium retorsionis applicavit illudque in antithesi evolvit. Ergo verba »ex hac (per hanc)« neque antithesim quamcumque nec retorsionem divinam, sed tantum factum virginitatis Mariae efferunt et includunt.

12<sup>o</sup> 2) »per quem Deus serpentem... profligit«; hic serpens est certe identicus cum serpente contextus immediate praecedentis: »Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit« Est igitur non diabolus Joannis in 1 Jo. 3, 8, sed serpens diabolicus tertii capitis Geneseos<sup>83)</sup>

---

<sup>82)</sup> T. Gallus, l. c. 16.

<sup>83)</sup> Ibidem.

Haud dubie »serpens« est serpens scaenae tentationis, de qua in antithesi erat sermo.<sup>84)</sup> Tamen inde non sequitur Iustinum verbis »per quem Deus serpentem profligat« ad Gen 3,15 alludere. E contra Iustinus in hoc inciso certo refert 1 Io 3, 8 propter identitatem huius incisi cum *Dialogi* c. 45, 4.<sup>85)</sup>

13<sup>0</sup> 3) verba Protoevangelii »ipsum conteret caput tuum« quoad rem coincidunt cum verbis »per quem Deus serpentem profligat«. Quod autem Iustinus eodem verbo utitur in dissolutione inobedientiae »κατάλυσιν λάβη« et in profligatione serpentis et angelorum hominumque sibi associatorum »καταλβει« non obest *allusioni* ad Gen 3,15, quia *status subiectionis sub diabolo*, id est, inobedientia, ex potestate diaboli provenit. Dissolvens igitur Deus hanc (conterens caput serpentis), dissolvit etiam illum (inobedientiam).<sup>86)</sup>

Iam in *Collectaneis Theologicis* admisimus primam propositionem, supposita utique tamquam probata interpretatione christologico-mariologica Gen 3,15;<sup>87)</sup> insuper longiore ratiocinio ostendimus, cur hoc non sufficeret ad probandum Iustinum hoc modo alludere ad Gen 3,15;<sup>88)</sup> deinde vero indicavimus, mediante c. 45 *Dialogi*, qui essent veri fontes biblici illius propositionis in c. 100.<sup>89)</sup> Speramus R. Patrem permissurum esse, ut a repetendis illis, quae ibi diximus, abstineamus atque eum illuc remittamus. Addimus tantum plenitudinis gratia, in supra dicta integra propositione c. 100 praeter »serpentem« ne unum quidem adesse vocabulum e Gen 3,15 desumptum, quod opinioni R. P. G. certo non favet.

Quod Cl. Auctor ulterius dicit de dissolutione potestatis diaboli et consequenter inobedientiae, sufficienter illustrata sunt et refutata in parte priore A et in nn. 1<sup>0</sup> et 2<sup>0</sup>.

---

<sup>84)</sup> Cf. *Coll. Theol.*, a. c., 325.

<sup>85)</sup> Ibidem.

<sup>86)</sup> T. Gallus, ibidem.

<sup>87)</sup> *Coll. Theol.*, a. c., 325.

<sup>88)</sup> Ibidem, 325-327.

<sup>89)</sup> Ibidem, 328-332.

Denique in nostra commentatione in *Collectaneis Theol.*<sup>90)</sup> nequaquam affirmavimus repetitionem verbi eiusdem radicis, ac erat substantivum in principio retorsionis, excludere allusionem ad Gen 3,15, ut e relatione R. P. G. posset videri, sed tantum affirmavimus hoc esse signum »inclusionis«, quae propositionem hanc cum principio retorsionis stricte conectit.<sup>91)</sup> Hoc tantum ex analysi capitis 100 ostendimus. Quod vero allusio ad Gen 3, 15 revera excludatur, monstravimus e comparatione cum ceteris textibus, qui huc pertinent, nimirum cum cc. 45.91.102. R. P. G. nexum inter hos textus, qui tanti momenti est in nostra argumentatione, omnino non respexit.

#### 14<sup>o</sup> Ultimum argumentum R. P. G.:

4) Denique allusio ad Gen 3, 15 confirmatur iis, quae de capite 45 *Dialogi* diximus.<sup>92)</sup>

responsum accepit supra, cum egimus de hoc textu.

Recolamus breviter illa, quae de *Dialogi* c. 100, 4–5 diximus.

Probavimus vocem »inobedientia«, quae in Iustini principio retorsionis occurrit, non posse significare particularem tantum et personalem actum inobedientiae primorum parentum, sed indicare inobedientiam seu peccatum regnans in mundo inde a lapsu Evae seductae a diabolo. Quia R. P. Gallus oppositam sententiam tenet et ex hac opinione cetera asserta sua deducit, fundamento sublato integra eius constructio ruit. Potuimus tali eventu esse contenti; ne tamen videamur aliquid magni momenti in argumentatione R. P. omisisse, maluimus analysim istius argumentationis adicere, quae tamen nihil novi nobis revelavit praeter illas ideas, quas R. P. propriis Iustini ideis immiscuit ex iisque conclusiones quasdam deduxit, quae

---

<sup>90)</sup> Ibidem, 325-327.

<sup>91)</sup> Hic addidimus supra aliud signum *inclusionis*, nimirum διὰ ταύτης γεγέννηται οὗτος, connectens cum διὰ τῆς Παρθένου ἀνθρώπου γεγονέναι.

<sup>92)</sup> T. Gallus, ibidem.

utique Iustino tribui non possunt. Nostra analysis textus in *Collectaneis Theologicis* proposita et conclusiones, quas inde deduximus, manent inconcussae.

### III. *Dialogi* c. 102, 2 - 4.<sup>93)</sup>

Locus hic ideo est magni momenti, quod unicus est, in quo Iustinus citat clare Gen 3,15. Textus sic sonat:

Statim enim atque Bethlehemi natus est, rex Herodes ut dixi, qui a magis ex Arabia venientibus de eo didicerat, insidias eius vitae molitus est; sed Ioseph Dei iussu eum cum Maria assumens in Aegyptum abiit. Statuerat enim Pater qui eum genuerat, ut non ante occideretur, quam ipsius verbum vir factus praedicasset. Si quis autem dicat: an non poterat Deus Herodem potius interficere? Huic quaestioni sic occurram: An non poterat Deus ab initio etiam serpentem e medio tollere, nec dicere: »Inimicitias ponam inter eum et mulierem, et semen illius et semen huius?« An non poterat statim multitudinem hominum creare? Sed ut praeclarum esse iudicabat, liberos ad iustitiae observationem angelos et homines creavit, ac tempora definivit quoad bonum esse iudicaret eos libero uti arbitrio; et quia pariter praeclarum esse iudicabat, et generalia et particularia iudicia fecit, manente utique libero arbitrio.<sup>94)</sup>

In *Collectaneis Theol.* asseruimus Iustinum allegato textui Gen 3,15 non tribuere hic sensum mariologicum nec christologicum, sed »semen mulieris« intellegere esse genus humanum descendens ab Eva.<sup>95)</sup> R. P. G. e contra putat nostram explicationem.<sup>96)</sup> admitti non posse propter quattuor rationes:

---

<sup>93)</sup> Cf. *Collectanea Theologica*, a. c., 332 s.; T. Gallus, l. c., 16-19.

<sup>94)</sup> MC 6, 713AB; Otto, II, 362D.

<sup>95)</sup> *Coll. Theol.*, a. c., 333.

<sup>96)</sup> Nostra explicatio erat eiusmodi: »Ad quaestionem, cur Deus statuerit, ut Filius eius in Aegyptum fugeret, non vero Herodem ipsum e vivis tulerit, respondet Iustinus Deum talem sapientem modum gubernandi prosequi, ut hominibus et angelis, quos libero arbitrio donaverat, tempus hac libertate utendi definiverit, quo demum emenso eos ad iudicium vocet. Ob eandem rationem, postquam serpens primos homines ad peccatum induxit, non tulit eum e medio Deus, sed potius pugnam inter homines et serpentem statuit, expressam verbis Gen 3,15, quae liberi arbitrii exercitium includit.« *Coll. Theol.*, a. c., 332 s.



a) False supponitur verba »*ab initio* etiam serpentem e medio tollere« habere hunc sensum: »*postquam* serpens primos homines ad peccatum induxit, non tulit eum de medio Deus. Iustinus enim hoc vult dicere: si Deus tulisset serpentem *ab initio*, id est, *antequam* ille hominem ad peccatum induxisset, inobedientia non adfuisset (vel saltem non accepisset initium a serpente, cf. cap. 100 *Dialogi*); consequenter Deus non debuisset dicere: »Inimicitias ponam inter eum et mulierem et inter illius semen et semen huius«. Hic sensus, tamquam verus sensus verborum Iustini, sequitur etiam ex iis quae prius de capite 45 diximus respectu verborum: »serpens ille, qui *ab initio* improbe egit«, ubi »initium« indicat tempus a creatione hominis usque ad lapsum inclusive, *non autem post lapsum* hominis. Ergo etiam in hoc loco »*ab initio*« eundem habet sensum.

b) Iuxta contextum remotum (cap. 100 *Dialogi*) qua via a serpente orta inobedientia initium accepit, eadem via etiam dissolutionem accipere debuit. Ideo Filius Dei ad profligationem serpentis veniens, ex Virgine est factus homo. Secundum Iustinum igitur Deus *aut* tollit »*ab initio* serpentem e medio«, et tunc non debet Filius Dei ex Virgine homo fieri, »*ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem accipiat*«, *aut* »*ab initio* serpentem e medio« non tollit, id est, sinit ut inobedientia ab ipso oriatur, mediante virgine Eva, quia decrevit incarnationem Filii sui ex B. Virgine »*ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet*«, et hoc exprimit verbis Protoevangelii: »Inimicitias ponam inter eum et mulierem, et inter semen illius et semen huius«. Neque necessarium est ut Iustinus integrum textum Protoevangelii alleget, quia in verbis Protoevangelii citatis idea retorsionis divinae iam sufficienter indicatur, et eius scopus in hoc loco neque plus exigit.

c) Interrogatio sequens: »*an non poterat statim multitudinem hominum creare?*« est interrogatio nova, independens ab interrogatione praecedenti, et hunc habet sensum: si Deus creavisset ab initio multitudinem, et non ab uno fecisset descendere genus humanum, tempora non fuissent necessaria, cum generatio non adfuisset. Hoc indicat in phrasi immediate subsequenti: »*sed, ut praeclarum esse iudicabat, liberos ad iustitiae observationem angelos et homines creavit, ac tempora definivit quoad bonum esse iudicaret eos libero uti arbitrio*«. Explicatio igitur ista a Iustino data non est referenda ad interrogationem primam, sicut St. Styś vult.

d) Interpretatio St. Styś proposita duo habet graviora incommoda:

1) si Iustinus Gen. 3,15 nec christologice accipit in hoc loco, sicut Cl. Auctor affirmat, Deus permisit inobedientiam a serpente ortam, quia homines sine Christo ita agere possunt ut diabolum vincant ac praemium accipiant:

2) »mulier« in textu allegato Iustini est ex suppositione Cl. Auctoris Eva. Sed Iustinus nullibi considerat Evam resipiscentem, inimicam serpenti, sed »mulierem deceptam«, conprincipium ruinae, causam inobedientiae et mortis. Eva ergo non potest ex mente Iustini serpenti opponi, quam oppositionem autem phrasis exigit: »An non poterat Deus ab initio etiam serpentem e medio tollere, nec dicere: »Inimicitias ponam inter eum et mulierem«.<sup>97)</sup>

1) Nostrum responsum non resumet per ordinem singula asserta R. P. G., sed magis systematice proponet analysim textus Iustini. Textus hic est satis difficilis ideo imprimis, quod conexio propositionum et idearum non est sufficienter perspicua. Itaque videamus primum nexum grammaticalem, deinde nexum logicum inter membra illius incisi.

A. *Nexus grammaticalis.* — Iustinus respondens ad objectionem opponentis, quae ita sonat: »An non poterat, μή γὰρ οὐκ ἠδύνατο, Deus Herodem potius interficere (complendum: quam Christi fugam in Aegyptum permittere)?« primum quidem duas interrogationes rhetoricas ponit, deinde subiungit positivam sententiam, incipientem a particula adversativa »sed, ἀλλά«. Utraque interrogatio incipit eodem modo ac obiectio ab »An non poterat, μή γὰρ οὐκ ἠδύνατο?«. Ad particulam interrogativam μή οὐκ expectatur responsum affirmativum.<sup>98)</sup> Quia interrogationes istae sunt sibi parallelae et eodem modo incipientes et constructae atque obiectio opponentis, manifestum est eas aliquam refutationem objectionis continere. Responsum hoc tamen non est plenum, sed aliquo modo concessivum, quia sequitur deinde propositio affirmativa incipiens a particula adversativa ἀλλά. Particula ista habet hic sensum

<sup>97)</sup> T. Gallus, l. c., 17s.

<sup>98)</sup> Ut in Rom 10,18. 19; 1 Cor 9,4. 5; 11,22. Cf. F. M. Abel, *Grammaire*, 339, § 77d.

praegnantem, quia et negat Deum fecisse illud, quod absolute loquendo potuit facere, et simul introducit alium, forsitan proprium modum explicandi factum. Sensus totius responsi est igitur in genere talis: »Poterat quidem Deus hoc et illud facere, tamen non fecit, quia... «. Inde si solus nexus grammaticalis consideratur, apparet responsum Iustini aliquod totum constituere, nam utraque interrogatio nequitur stricte cum interrogatione opponentis, propositio vero affirmativa complet utramque interrogationem rhetoricam.

B. *Nexus idearum.* — Quia tres propositiones, i. e. utraque interrogatio rhetorica Iustini cum sequenti propositione affirmativa grammaticaliter unum totum constituunt ac responsum continent ad objectionem opponentis, debent omnes *logice* quoque cum interrogatione opponentis coneciti et ad objectionem refutandam conferre. Prima disiunctiva pars primae interrogationis respondet, efferendo aliud factum simile facto allegato ab opponente. Iustinus itaque non negat Deum potuisse interficere Herodem. Non affert quidem rationem, cur Deus hoc revera non fecerit, sed dicit simili modo potuisse Deum serpentem de medio tollere, tamen id non fecisse. Etiam hoc factum, sicut et praecedens i. e. non occisio Herodis, in obscuro relinquit rationem mysteriosi modi gubernandi Dei; unum tantum probat: Deum non occidendo Herodem consuetum modum agendi suae Providentiae secutum esse.

Sed ecce secunda disiunctiva pars primae interrogationis proponit, quid Deus facere elegerit, si serpentem e medio tollere noluit: »nec dicere: Inimicitias ponam inter eum et mulierem, et semen illius et semen huius«. Si hanc partem comparamus cum secunda disiunctiva parte interrogationis opponentis, quae quidem reticita est, sed facile compleri potest, ut supra fecimus, concludimus eam debere significare liberationem aut praeservationem ab aliquo malo; quam tamen praeservationem non esse ita radicalem, ut esset, si serpens e medio sublatus esset, sed coniunctam cum aliqua molestia et aerumnis, prout fuga in Aegyptum Christum a morte quidem

praeservavit, sed molestiis et aerumnis itineris et exilii exposuit, dum occisio Herodis radicaliter malum amovisset. Haec ducunt recta ad concludendum Iustinum in secunda disiunctiva parte istius interrogationis videre expressos homines, quia hominibus tantum, non vero Deo, serpens malum afferre potuit; ac consequenter »mulierem« in Gen 3,15 intellegi a Iustino Evam, »semen mulieris« autem intellegi Evae progeniem. Quae conclusio confirmatur ab ulteriore contextu.

Secunda interrogatio rhetorica est: »An non poterat statim multitudinem hominum creare?« Interrogationem hanc debere logice cum interrogatione opponentis coneciti et ad obiectionem refutandam conferre iam supra probavimus. Sed quaeritur, utrum conexio sit immediata, an mediante interrogatione priore, seu utrum interrogatio secunda non sit an sit ab interrogatione priore dependens. Responsum est facile: si interrogatio secunda est independens et immediate respondet ad obiectionem opponentis, non apparet, quid sibi ipsa velit, quia nullus nexus logicus excogitari potest inter possibilitatem occisionis Herodis aut fugam in Aegyptum, et possibilitatem creationis multitudinis hominum inde ab initio. Ergo non restat, nisi ut interrogatio secunda dependeat ab interrogatione priore eamque aliquo modo compleat. Sed complere eam non potest relate ad primam disiunctivam partem, i. e. abolitionem serpentis, quia iterum nullus nexus logicus adest. Ergo complementum refertur ad secundam disiunctionis partem: »nec dicere: Inimicitias ponam inter eum et mulierem, et semen illius et semen eius«; consequenter »multitudo hominum« alludit ad »semen eius« seu semen mulieris (quia aliud non est possibile) et interpretatur illud in sensu progeniei Evae. Nexus est hic: Si Deus »statim«, (i. e. sive cum crearet primum par hominum sive postquam peccatum ab eis commissum est), creasset multitudinem hominum seu omnes homines, quos praeviderat, ita ut genus humanum a primo pare hominum per generationem originem non habuisset,<sup>99)</sup> tunc genus humanum non

---

<sup>99)</sup> In hoc puncto assentimur interpretationi R. P. G.

fuisset plexum illa hereditaria pugna cum fraudibus diaboli ac periculo, ne in hac pugna caderet per peccatum; et hoc Iustinus exprimit allegato textu Gen 3,15, quod utique sensum collectivum »seminis« mulieris supponit.

Quod haec ultima idea non sit Iustino suggesta ab extra, sed ex eius thesauro idearum eruta, probat a) *Dialogi* c. 88,4, ubi legimus:

(Christus) nec nasci nec crucifigi ideo sustinuit, quod his rebus indigeret, sed pro humano genere, quod *ab Adamo* in mortem et *serpentis fraudem inciderat*, unoquoque sua culpa improbe agente.<sup>100)</sup>

et b) *Apologia I*, 58, 3, ubi Iustinus explicite loquitur de pugna daemonum cum hominibus. cuius pugnae finis est homines a Deo abducere.<sup>101)</sup>

Restat adhuc propositio positiva, quae excipit immediate secundam interrogationem rhetoricam. Iustinus tria hic affirmat: a) Deum secundum sapiens suum consilium angelos et homines libero arbitrio donatos creasse; b) eum tempora definivisse, quousque hoc libero arbitrio uti possent; c) eum generalia et particularia iudicia decrevisse, »manente utique libero arbitrio«.

Probavimus supra propositionem hanc non solum cum obiectione opponentis logice coneccti debere, sed positivam explicationem afferre. Quae positiva explicatio mysteriosi decreti divini adhuc desideratur, cum praecedentes duae interrogationes eam non dederint. At potuit Iustinus hoc facere sive immediate ad obiectionem respondendo, sive alludendo ad unam e praecedentibus interrogationibus rhetoricis. Videtur tamen excludi debere conexio immediata cum secunda

---

<sup>100)</sup> MG 6, 685 BC; Otto, II, 320.

<sup>101)</sup> »Nihil enim aliud contendunt et pugnant ii qui dicuntur daemones, nisi ut homines a creatore Deo et primogenito eius Christo abducant. Ac eos quidem, qui se humo tollere nequeunt, terrenis et manufactis rebus affixerunt et affigunt; qui autem se ad contemplationem rerum caelestium erigunt, eos supplantando, nisi sano sint iudicio et puram et vacuam animi perturbationibus vitam degant, in impietatem impingunt« MG 6, 415 B, Otto, I, 156 B.

interrogatione rhetorica, prout eam intellegendam esse ostendimus, quia tunc non apparet, quid sibi velint illa tria asserta Iustini quod attinet ad multitudinem hominum: neque enim explicant, cur multitudo hominum ab initio potuerit creari, quia obstat particula adversativa »sed«; neque explicant, cur Deus ab initio multitudinem hominum non creaverit, quia hominibus non creatis non est opus nec libero arbitrio, nec tempore, nec iudicio; praeterea non explicatur, cur angelorum quoque mentionem fecerit Iustinus. Quod si quis putat Iustinum hic loqui de hominibus, qui generatione a primo parente procedunt (ita R. P. G.), adest tunc secundum connexionem propositionum a R. P. G. statutam stridens ellipsis inter secundam interrogationem rhetoricam et hanc propositionem positivam,<sup>102)</sup> quae admitti non potest, praesertim cum adsit alia concinnior explicatio.

Sed propositio haec dat immediate positivum responsum ad objectionem opponentis; quod responsum complens interrogationem rhetoricam priorem, ei quoque lumen affert. Nimirum nexus est hic: Ideo Deus non interfecit Herodem, cum vitae Iesu inhiaret, et ideo quoque serpentem ab initio de medio non sustulit, quia aequae hominibus ac angelis, itaque etiam Herodi et serpenti-diabolo, Deus liberum arbitrium concessit eisque hoc arbitrio usque ad tempus a se praestitutum uti permisit; sed pro singulis hominibus et angelis fient iudicia particularia, pro omnibus vero angelis et hominibus fiet iudicium generale, ubi omnes pro suis factis praemia aut poenas accipient. Quae iudicia, eis annuntiata et nota, coërcent quidem malefactores, at liberum arbitrium non

---

<sup>102)</sup> Ellipsis consistit in eo, quod omittuntur aliquot termini medii inter possibilem creationem multitudinis hominum ab initio et a) non deductionem illius possibilitatis in actum, b) decretum propagandi generis humani per generationem, c) liberum arbitrium, quo homines donati sunt et tempus ad liberum arbitrium exercendum destinatum, d) angelos, qui eadem dona acceperunt. Neque apparet, quomodo angeli in connexionem a R. P. G. supposita locum teneant. Notare liceat R. Patrem in suo opere omnem angelorum (et similiter iudicii) mentionem in hoc textu Iustini et in commentario prudenter omittere.

tollunt, »manente utique libero arbitrio«. Habemus itaque in hac positiva affirmatione responsum catecheticum ad illam tritam difficultatem, cur Deus mala in mundo fieri permittat.

2. Haec analysis videtur mentem Iustini presso pede sequi neque quidquam alieni ei subicere. Ut tamen res clarior evadat, quendam commentarium e scriptis Iustini volumus addere.

Iustinus saepe loquitur de libero angelorum et hominum arbitrio ac de iudicio. Videtur hoc esse unum ex eius argumentis praedilectis. Ita in *Dialogi* c. 88, 5 dicit:

Nam cum vellet Deus angelos et homines, libera eligendi potestate praeditos ac sui iuris, ea agere quaecumque ipsis agendi potestatem dedisset, tales eos fecit, ut, si ipsi placentia eligerent, corruptionis ac poenae expertes servasset, si autem improbe agerent, suo arbitratu in unumquemque animadverteret.<sup>103)</sup>

Hic textus fere idem dicit ac nostrum c. 102, ac praemia et poenas pro bono aut malo liberi arbitrii usu destinatas memorat. Alius locus responsabilitatem hominum e libero arbitrio fluentem effert:

Et ab initio quidem humanum genus intelligentia et vera eligendi ac recta faciendi facultate praeditum creavit, ita ut omnibus hominibus nulla apud Deum relinquatur excusatio. Ratione enim praediti et ad intelligendum apti et habiles creati sunt.<sup>104)</sup>

Alius textus:

paucis antevortens dixi Deum, cum angelos et homines suae voluntati parere vellet, liberos ad iustitiae observationem creare voluisse, indita eis ratione qua cognoscerent, a quo creati sint et per quem existant, cum antea non essent; imposita etiam hac lege, ut ab eo iudicarentur, si praeter rectam rationem facerent. Quamobrem per nos ipsi, homines et angeli, improbitatis arguemur, nisi poenitentiam occupemus. Quod si verbum Dei praedicit omnino quosdam angelos et homines punitum iri, idcirco haec praedicit, quod eos citra ullam immutationem improbos futuros praenosceret, nequaquam autem

---

<sup>103)</sup> MG 6, 685 C; Otto, II, 322 A.

<sup>104)</sup> *Apol. I*, 28, 3; MG 6, 371 C; Otto, I, 88 C.

quod Deus eos tales fecerit. Quapropter, si poenitentiam agant, licet omnibus, quicumque voluerint, misericordiam a Deo consequi, eosque beatos Scriptura praedicat his verbis: »Beatus cui non imputaverit Dominus peccatum«. <sup>105)</sup>

dicit inter alia de *lege imposita*, ut angeli et homines a Deo iudicentur, quod utique supponit legem hanc esse cognitam. Praeterea patet ex hoc textu Iustinum per »angelos« intellegere omnes spiritus, sive bonos sive malos etiam serpentem paradisi;<sup>106)</sup> angelos posse cadere, sed posse etiam, prout homines, poenitentiam agere et misericordiam consequi, si vero Scriptura praedicat quosdam angelos et homines omnino punitum iri (ita v. g. de serpente-diabolo dicit Iustinus secundum Mt 24, 41 in *Apologia I*, 28, 1),<sup>107)</sup> inde hoc provenit, quod Deus praenoscit fore, ut non mutantur.

Iudicium vero in omnes angelos et homines exercebit Christus in secundo suo adventu;<sup>108)</sup> tunc omnes quidem homines suscitabit a mortuis<sup>109)</sup> et iniquorum corpora in ignem aeternum cum pravis daemonibus mittet, dignorum autem corpora incorruptione et immortalitate donabit.<sup>110)</sup> Inde patet »tempora«, quae Deus non solum hominibus, sed etiam *angelis* (R. P. G. hoc non animadvertit) definivit, non esse tempus in genere, sed tempus pro libero arbitrio exercendo, seu tempus praesens a) usque ad iudicium particulare pro singulis, et b) usque ad iudicium generale pro omnibus angelis et hominibus. In nostro c. 102 nimirum est unicus locus, in quo Iustinus non solum de iudicio universali, sed etiam de iudiciis particularibus loquitur, non definiens tamen, in quo illa iudicia particularia consistant. Ideo vero videtur haec iudicia particularia commemorare, quod sententiam iudicalem Dei contra serpentem, prolatam paulo ante retulit. Utrum aliquod iudicium

<sup>105)</sup> *Dial.*, 141, 1-2: MG 6, 797 BD; Otto, II, 494 - 496.

<sup>106)</sup> Cf. *Dial.*, 79, 2. 4: MG 6, 661 B. 663 A; Otto, II, 284 B. 286 A.

<sup>107)</sup> Cf. supra ad c. 45 *Dialogi* sub n. 2, 2<sup>o</sup>.

<sup>108)</sup> *Apol. I*, 52, 3: MG 6, 403 - 406; Otto, I, 138 - 141; *Dialogus*, 45, 4; MG 6, 671 - 674; Otto, II, 151 - 153.

<sup>109)</sup> *Apol. I*, 52, 3.

<sup>110)</sup> *Ibidem*; *Dial.*, 45, 4.



particulare de Herode quoque in mente habuerit, determinari non potest.

3. Veritas interpretationis textus *Dialogi* c. 102, quam modo dedimus, his maximi momenti circumstantiis commendatur, quod unitatem incisi, quae primo obtutu menti se ingerit, perfecte servat atque omnibus et singulis membris plenam et cum toto inciso cohaerentem explicationem tribuit, ex altera vero parte menti Iustini, prout in aliis parallelis locis manifestatur, perfecte fidelis manet. Hac vero accuratiore et longiore indagatione peracta nostra interpretatio, quam breviter in *Collectaneis Theol.* proposuimus,<sup>111)</sup> plene comprobatur, atque sufficiens responsum datur ad tres saltem primas »rationes« R. P. G.

Complementi tantum gratia paucas observationes volumus facere quoad ista tria argumenta R. P.

Primum argumentum (a) nullo modo officit nostrae interpretationi. Sive »ab initio« significat »postquam serpens primos homines ad peccatum adduxit«, sive »antequam... adduxit«, nostra interpretatio immutata manet.<sup>112)</sup> Sed R. P. errat restringendo »initia« generis humani ad tempus usque ad lapsum inclusive tantum, quia omnes intellegunt saltem iudicalem sententiam Dei adhuc ad illa initia pertinere, et ipse Iustinus dicit in *Dialogi* c, 91, 4 (quem textum R. P. quoque allegat p. 12!):

Neque enim nos in serpentem credere spiritus propheticus per Moysen docebat, quippe cum eum *ab initio*, τὴν ἀρχήν, *diris a Deo devotum* demonstrat<sup>113)</sup>.

Notum est autem serpentem a Deo diris devotum seu maledictum esse non ante lapsum, sed post lapsum<sup>114)</sup>. Contextus

<sup>111)</sup> *Coll. Theol.*, a. c., 332 s.

<sup>112)</sup> Cf. supra sub n. 1, B.

<sup>113)</sup> MG 6, 693 B; Otto, II, 334 B.

<sup>114)</sup> Item in aliis quoque locis Iustinus ad diversissima adhibet locutionem τὴν ἀρχήν. Ita: ad initia generis humani (*Dial.* 84, 2; *Apol.* I, 10, 4; 28, 3); ad initium angelorum et hominum (*Apol.* II, 7, 5); ad creationem omnium rerum e nihilo (*Apol.* I, 10, 2. 3; 59, 1; *Apol.* II, 6, 3); sed etiam ad tempora Moysis (*Dial.*, 27, 4); ad tempora antemosaica (*Dial.*, 22, 11); immo ad suum colloquium cum ludaeis (*Dial.*, 66, 1).

vero non favet isti interpretationi locutionis »ab initio« a R. P. G. datae. Si enim Iustinus de tempore, quod lapsum praecesserat, *expresse* cogitasset, tunc illud, quod serpentis occisioni opposuisset, non tam sententia iudicialis Dei esset, quam tentatio, quae immediate instabat et quae omnium malorum pro hominibus causa est facta.

In secundo argumento (b) R. P. G. non recte refugit ad textum valde remotum et disparatum, quem insuper falso ab eo intellectum esse ostendimus; negligit vero contextum proprium, qui aliquid certius eum docere potuit.

In argumento tertio Cl. Auctor dirumpit unitatem responsi Iustini, secundam interrogationem rhetoricam et propositionem positivam avellens ab interrogatione priore, et solvit omnem connexionem cum obiectione opponentis. Item negligit, quod Iustinus non de solis hominibus loquitur in propositione positiva, sed etiam de angelis; non de tempore tantum eis destinato, sed de tempore, quo libero arbitrio uti possint, ac de iudicio. Est explicatio prorsus desperata.

4. Reliquum est, ut respondeamus ad quartam rationem (d) R. P. G. in qua duo »graviora incommoda« nostrae explanationi obicit.

Ad primum »incommodum« respondemus ita: Non omne verbum Dei, humano modo et pro hominibus dictum, debet totam revelationem continere. In monte Sinai Deus praecepta promulgavit eaque observare iussit, nullam mentionem faciens se gratiam esse daturum ad hoc assequendum et gratiam hanc esse ad finem observandae legis necessariam. Ideo Iustinus non erravit, si in Gen 3, 15 Christum diabolum vincentem non vidit, sed solos homines. Quod vero ipsum textum Gen 3, 15 attinet, Christus in eo potest apprime contineri, quamvis »semen mulieris« sensum collectivum habeat, ut demonstravimus alibi.<sup>115)</sup>

Secundum »incommodum« Cl. Auctor ideo tantum potuit videre in nostra interpretatione, quod falso supposuit Gen

---

<sup>115)</sup> *Egzegetyczne podstawy*, 92 - 106.

2<sup>o</sup> Si Iustinus ideo tantum ab allegando textu Gen 3, 15 destitisset, quod propter rationem a R. P. G. datam non erat hoc opportunum, quamvis textus ideam serpentis a Christo delendi secundum Iustinum contineret, certo tamen hoc saltem Iustinus non ursisset, quod serpens *ab initio* diris devotus esset (Gen 3, 14) et quod *iam tunc*, i. e. tempore Exodi, occisio serpentis a Christo praedicta esset. Recte enim ei obici potuit, non demum posteriore tempore, sed iam in paradiso serpentem ad necem damnatum esse. In hisce circumstantiis argumentum associationi idearum innixum est fortissimum et consisteret etiam in casu, si aptitudo logica deficeret, quod tamen verum non est.

Denique R. P. G. discutit nostrum assertum, quod nempe Iustinus de maledictione serpentis in Gen 3, 14 expressa loquens non comprehendit ea etiam serpentis internecionem, quae v. 15 annuntiatur. R. P. argumentum inde ducit, quod Iustinus in c. 102 allegat verba Gen 3, 15 incipiens a particula copulativa καί, quo »satis indicatur divinam maledictionem, quae incipit in v. 14 continuari in v. 15 in quo suum culmen attingit, per contritionem eius capitis«. Argumentum hoc non est efficax. Nam copula καί, desumpta e LXX, potest servire simpliciter ad coniungendas duas partes sententiae divinae contra serpentem prolatae; ceterum illud καί est serviliter translata particula hebraica *we*, quae secundum stylum huic linguae proprium subsequentes sibi propositiones regulariter connectit, ita ut potius constructio asyndetica admirationem moveat.<sup>120)</sup> — Sunt quidem aliqui commentatores, qui similiter ac R. P. G. teneant poenam v. 15 annuntiatam esse partem maledictionis divinae v. 14 prolatae;<sup>121)</sup> tamen non videtur posse probari Iustinum idem sensisse.<sup>122)</sup> E contra mens

---

<sup>120)</sup> Cf. P. Joüon S. J., *Grammaire de l'hébreu biblique*, Rome 1923, § 177 a.

<sup>121)</sup> Ita v. g. P. Heinisch, *Das Buch Genesis*, Bonn 1930, 125 A. Clamer, *La Genèse*, Paris 1953, 139.

<sup>122)</sup> Similiter Irenaeus loquens de maledictione serpentis non protendit eam ad v. 15, *Adv. haer.*, III, 23, 3: MG 7, 962 A.

eius de sensu Gen 3, 15 clare alucet ex illis, quae supra sunt dicta.

Adest tamen alia difficultas contra nostram sententiam, quam difficultatem R. P. G. quidem non aspexit, sed eam probe movere volumus. Nimirum nostra argumentatio videtur supponere Iustinum in Gen 3, 15b legisse clare expressam victoriam e serpente latam, ita ut habemus in bona versione latina S. Hieronymi<sup>123</sup>). Sed versio LXX, qua usus est Iustinus, nihil de contritione capitis habet, sed loquitur de *observatione* capitis serpentis (τηρέσεις), similiter ac serpens observabit (τηρέσει) calcaneum seminis mulieris. Quia vero haec versio non continet quidquam clari de serpentis internecone, Iustinus non potuit textum Gen 3, 15b afferre ad hoc factum probandum.

Difficultas est seria, attamen non invincibilis.

Et quidem primum notamus, praeter versionem LXX adfuisse iam versionem graecam Aquilae,<sup>124</sup>) qua usi sunt Iudaei et quam Iustinus forsitan noverat. Haec autem versio habet in Gen 3, 15 ἀποτρίφει *conteret*. Quia tamen ad summum possibile est Iustinum Gen 3, 15 in hac versione novisse,<sup>125</sup>) et non est probabile eum istam versionem adhibere voluisse, nam versionem LXX semper praefert versioni, qua utuntur Iudaei, malumus hanc rem praeterire.

Sed habemus aliud responsum ex historia interpretationis christologico - mariologicae Gen 3, 15. Certum est Irenaeum interpretationem christologico - mariologicam huius textus dedisse. Sed notatu digna est via, qua ad hoc pervenit. Recenter R. D. R. Laurentin scripsit articulum de interpretatione

---

<sup>123</sup>) Cf. *Egzegetyczne podstawy*, 51 s., n. 11.

<sup>124</sup>) Versio Aquilae Iudaei facta est circa annum 140 p. Chr., cf. A. Vaccari S. I., *Instit. Bibl.*, I<sup>6</sup>, Romae 1951, III. De textu, n. 63.

<sup>125</sup>) A. Harnack putat Iustinum generatim non novisse Aquilam: »*Jene Uebersetzung (Is 7, 14: νεάνις) ist die des Aquila; aber Justin ist nicht so gelehrt, dass er diesen kennt*«, *Judentum und Christentum in Justins Dialog mit Trypho in Texte und Untersuchungen* 39, 1, Leipzig 1913, 65.

Gen 3, 15 secundum traditionem usque ad initium s. XIII,<sup>126)</sup> ubi egregie hanc materiam tractat.<sup>127)</sup> Haec sunt, quae ad nostrum argumentum spectant: 1<sup>o</sup> Irenaeus allegat Gen 3, 15 aut alludit ad hunc textum tantum secundum versionem LXX;<sup>128)</sup> 2<sup>o</sup> tenet sensum collectivum »seminis mulieris«,<sup>129)</sup> pervenit

---

<sup>126)</sup> R. Laurentin, *L'interprétation de Genèse 3, 15 dans la tradition jusqu'au début du XIIIe siècle* »Etudes Mariales«, 12(1954) 79-156. Dat brevem at optimum conspectum historiae interpretationis saeculis II - XII et sobrias conclusiones. In *Dossier des textes*, pp. 115 - 148, 154 - 156 sunt indicati et saltem in compendio relati omnes maioris momenti et rariores, etiam manuscripti, textus huc pertinentes, cum annotatione principaliorum commentationum ad singulos textus, ac praeterea sensus, qui iudicio auctoris iis inest. Insuper ampla bibliographia de Protoevangelio pro annis 1934-1954 (pp. 149-153). Est utilissimum et magni momenti instrumentum laboris pro omnibus, qui hanc materiam tractaturi sunt.

<sup>127)</sup> Ibidem, 93 - 97.

<sup>128)</sup> Ibidem, 94, n. 65a. In versiona latina *Adv. haer.* IV, 40, 3 legimus quidem in allegato textu Gen 3, 15: »Ipse tuum *calcabit* caput«, sed hoc provenit e studio harmonisationis cum subsequentiis verbis Irenaei. Secundum originale graecum, fideliter reproductum a versione armena, idem verbum *τῆρ᾽εἶν* in utroque praedicato erat. Cf. R. Laurentin, *ibid.*, 95.

<sup>129)</sup> Apparet hoc maxime in *Adv. haer.* III, 23, 7: »Quapropter *inimicitiam ponit inter serpentem et mulierem, et semen eius, observantes invicem* (Gen 3, 15): illo quidem, cui morderetur planta et potente *calcare caput inimici* (Luc 10, 19); altero vero mordente et occidente, et interpediente ingressus hominis, *quoadusque venit semen* (Gal 3, 19) praedestinatum *calcare* (cf. Luc 10, 19) caput eius, quod fuit partus Mariae, de quo ait propheta: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (Ps 90, 13) significans quia illud quod erigeretur et dilataretur adversus hominem peccatum, quod frigidum reddebat eum, evacuaretur cum *regnante morte* (Rom 5, 14) et *conculcicaretur* (Ps 90, 13) ab eo in novissimis temporibus insiliens humano generi *leo*, hoc est Antichristus, et *draconem* illum, *serpentem vetustum, alligans* (Apoc 20, 2) et subiiciens potestati hominis, qui fuerat victus, *ad calcandam omnem eius virtutem*« [Distinctiones in textu sunt factae secundum R. Laurentin, a. c., 116 (3)]. Est meritum R. Laurentin, quod praeter Ps 90, 13 detegit in istis verbis allusionem ad Luc 10, 19, ubi Irenaeus conspicit explicationem Gen 3, 15 ab ipso Christo datam: »Ecce dedi vobis *potestatem calcandi*, τοῦ πατῆν supra serpentes et scorpiones, et super *omnem virtutem inimici*«. Allusio

tamen etiam ad sensum christologico - mariologicum, et quidem non solum in quantum Christus, Virginis Filius, cum serpente pugnat (v. 15a), sed etiam in quantum victoriam de eo adipiscitur (v. 15b); 3<sup>o</sup> tamen hanc interpretationem non obtinet directe e solo textu Gen 3, 15, sed via quasi obliqua et satis complicata, adductis nempe in adiutorium aliis textibus S. Scripturae (Ps 90, 13; Gal 3, 19; Luc 10, 19),<sup>130)</sup> qui explicant plenam vim in illo textu latentem, nimirum: »Christus *observat* inimicum *aspectu provocante victoris*, qui victoriae adipiscendae certus est«,<sup>131)</sup> et innixus principio recapitulationis.<sup>132)</sup>

---

ad hunc textum habetur in unoquoque e tribus gradibus evolventis se cogitationis Irenaei: Primum serpens et humanum genus mutuo se observant; serpens est quidem apparenter fortior, quia mordet et impedit ingressus, sed Irenaeus praesentit iam promissionem Christi, vi cuius genus humanum, apparenter victum, potestatem habet calcandi (*potens calcare*) caput inimici. 2. Haec potestas explicabitur, cum venerit ille, qui praedestinatus est *calcere caput serpentis*. 3. Adamo olim victo et toto generi humano Christus daemone vinctum subiicit datque ei potestatem *calcandi super omnem virtutem inimici*. Cf. Laurentin, a. c., 95 s. In ista optima explicatione habetur etiam sufficiens responsum ad difficultatem, quam R. P. G. movit (l. c., 26 s.) contra nostram interpretationem textus Irenaei, in qua distinximus »semen mulieris« conceptum tum collective tum individualiter, *Collect. Theol.*, a. c. 337; cf. idem fusius in *Egzegetyczne podstawy*, 25 - 29.

<sup>130)</sup> Alii quoque posteriores Patres graeci, si Gen 3, 15 christologico-mariologico (vel etiam si colectivo) modo interpretantur, eosdem aut similes textus scripturísticos in adiutorium solent vocare. Cf. Laurentin, a. c., 107.

<sup>131)</sup> *Le Christ observe l'ennemi avec le regard de défi du vainqueur sûr de sa victoire*, a. c., 97. Quantum ad methodum adhibendi textus biblicos ab Irenaeo, animadvertit dictum Cl. Auctoris: *Il ne regarde jamais les textes isolés. Sa théologie biblique discerne le tout en chacun d'eux*, a. c., 96.

<sup>132)</sup> R. Laurentin ita concludit suas investigationes circa mentem Irenaei: *A la base de la pensée d'Irénée, il y a une interprétation collective de Gen. 3. 15: Inimicité et lutte entre le démon et la descendance d'Eve. De là se dégage en étroite continuité, une interprétation plus pleine, celle qui concerne la lutte victorieuse du Christ né de la Vierge Marie. Cette interprétation prend corps sous deux lumières convergentes: 1<sup>o</sup>un ensemble*

Inde vero hanc conclusionem et applicationem ad Iustinum facimus. Possibile quidem erat, ut Iustinus quoque, *versioni LXX innixus*, ad eandem interpretationem christologico-mariologicam Gen. 3, 15 pervenerit, et sic primatum in sensu hoc statuendo habuerit. Attamen totus ille apparatus biblicotheologicus, quem Irenaeus ad finem hunc assequendum adhibere debuit, monstrat eum fuisse primum, qui hanc viam ingressus est, quamquam fateri oportet eum quasdam praemissas iam praeparatas invenisse, imprimis ideam recapitulationis, quam probabiliter a Iustino accepit.<sup>133</sup>) E contra apud Iustinum ne tentamina quidem apparent perrumpendi per silvam difficultatum, quae cum illa christologico-mariologica textus Gen 3, 15 interpretatione coniunctae erant. Sufficiat mentionem facere eum ne semel quidem in scriptis, quae ad nos pervenerunt, allegare Ps 90, 13; Gal 3, 19; semel tantum citare Luc 10, 19 applicando hunc textum ad homines; in *Dialogi* c. 102, ubi textum Gen 3, 15 explicite allegat, relinquere eum solum nullo adiumento aliorum textuum appposito; item in aliis locis, in quibus secundum R. P. G. Iustinus interpretationem mariologicam textus Gen 3, 15 admittit aut saponit, illos textus deesse. Nonne mirum esset eum tam facile sensum mariologicum Gen 3, 15 admisisse, cum eius immediatus succesor tanto cum labore et tot adiumentis adhibitis ad eum tandem pervenerit et — dicamus sincere — hodie adhuc exegetae in eo probando tantopere sudent?

Consequenter, illis argumentis, quibus e *Dialogi* c. 91,4 probavimus Iustinum interpretationem christologico-mariologi-

---

*de textes scripturaires qui dévoilent les virtualités cachées de l'oracle primitif: le Christ, descendant par excellence (Gal. 3, 19) et sa victoire inséparable de la nôtre (Ps. 90, 13; Luc. 10, 19). 2<sup>o</sup> la théologie de la recapitulation. Dans le cadre de cette doctrine, les deux acceptions (collective et christologique) se recouvrent objectivement. C'est dans et par le Christ, que l'homme est ennemi du démon et c'est par lui qu'il parvient à la victoire.*

<sup>133</sup>) Cf. *Collect. Theol.*, a. c., 347.

cam Gen 3, 15 non novisse, nihil efficaciae demitur, e contra huius interpretationis historia nostram sententiam adhuc fir-  
miorem reddit.

V. Summus Pontifex Pius XII in Const. Apost.  
*Munificentissimus Deus* <sup>134)</sup>

In Constitutione Apostolica *Munificentissimus Deus* Sum-  
mus Pontifex sic inter alia ait:

Maxime autem illud memorandum est, inde a saeculo II, Mariam Virginem a Sanctis Patribus veluti novam Hevam pro-  
poni novo Adae, etsi subiectam, arctissime coniunctam in cer-  
tamine illo adversus inferorum hostem, quod, quemadmodum  
in protoevangelio (Gen 3, 15) praesignificatur, ad plenissimam  
deventurum erat victoriam de peccato ac de morte, quae sem-  
per in gentium Apostoli scriptis inter se copulantur (Cf. Rom  
cap. 5 et 6; 1 Cor 15, 21-26; 54-57). Quamobrem, sicut gloriosa  
Christi anastasis essentialis pars fuit ac postremum huius vic-  
toriae tropaeum, ita Beatae Virginis commune cum Filio suo  
certamen virginei corporis »glorificatione« concludendum erat;  
ut enim idem Apostolus ait, »cum mortale hoc induerit  
immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est  
mors in victoria« (1 Cor 15, 54). <sup>135)</sup>

Duae quaestiones ad hoc magni momenti incisum spec-  
tantes occurrunt R. Patri Gallus solvendae:

Primum: *qui sunt illi testes ex saeculo II sensus mario-  
logici Protoevangelii?* Alterum: *affirmantne illi sensum mario-  
logicum connexum cum antithesi »Eva-Maria«?*

Ad utramque quaestionem positivum responsum dare  
Constitutionem Apost. *Munificentissimus Deus* putat R. P.; et  
quidem ad primam quaestionem respondere »sensu generico,  
affirmans nempe adesse Sanctos Patres inde a saeculo II, qui  
Gen 3, 5 mariologice interpretati sunt«, secundam vero quae-  
stionem »implicite affirmare«. Deinde Cl. Auctor miratur  
adesse »aliquos, etiam hodie, ergo post Constitutionem Apos-  
tolicam *Munificentissimus Deus*, qui utramque quaestionem

---

<sup>134)</sup> AAS 42 (1950) 753-771.

<sup>135)</sup> Ibidem, 768.



negent.« In adnotatione vero citat tres auctores: Fr. Drewniak<sup>136)</sup>, St. Styś<sup>137)</sup> et J. Michl.<sup>138)</sup> Nimirum, quod ad primam quaestionem attinet, omnes tres hi auctores dicuntur peccare eo, quod negent »sensum mariologicum Protoevangelii inveniri posse apud Iustinum«; quoad alteram quaestionem Fr. Drewniak et nos dicimur negare apud Irenaeum sensum mariologicum coniunctum esse cum antithesi Eva-Maria.<sup>139)</sup>

Estne verum Summum Pontificem ita positive respondisse ad utramque quaestionem, ut autumat R. P. G.?

1. Quod ad primum attinet, R. P. non dicit quidem expresse Summum Pontificem affirmare Iustinum sensum mariologicum Gen. 3, 15 admisisse, tamen aequivalenter hoc statuit, quia obicit tres auctores contra mentem Summi Pontificis negative ad primam quaestionem respondere, negando nempe Iustinum sensum mariologicum illius textus professum esse.

Nihil negotii est istam implicitam affirmationem R. P. G. refellere. Supponamus Summum Pontificem revera loqui de sensu mariologico Gen 3, 15 a Patribus admissio. Nihilominus in illa propositione: »*inde a saeculo II*, Mariam Virginem a Sanctis Patribus veluti novam Hevam proponi etc.« nullo modo enuntiatur, *quot* fuerint Patres saeculo II, qui hoc affirmaverint. Nam per »Sanctos Patres« certo intellegitur heic series scriptorum ecclesiasticorum, et haec series (utique hac in materia non omnes scriptores comprehendens) dicitur *non* quidem *saeculo II*, quasi hoc saeculo plures eiusmodi scriptores supponantur fuisse, sed *inde a saeculo II* aliquid docuisse. Ut hoc verum sit, sufficit, ut unus saltem istorum scriptorum saeculo II sua opera divulgaverit et haec affirmaverit. Hoc autem omnes tres auctores a R. P. G. allegati asserunt, admitentes Irenaeum, qui saeculo II scripsit, sensum mario-

---

<sup>136)</sup> Fr. Drewniak, *Die mariologische Deutung von Gen. 3, 15 in der Väterzeit*, Breslau 1934.

<sup>137)</sup> *Collectanea Theologica*, a. c.

<sup>138)</sup> J. Michl, *Der Weibessame (Gen. 3, 15) in spätjüdischer und frühchristlicher Auffassung* (II), »Biblica« 33 (1952) 476-496.

<sup>139)</sup> T. Gallus I c., 9.

logicum Gen 3, 15 exhibere. Non videmus, quo iure R. P. G. postulet, ut duo debeant esse saeculo II eiusmodi scriptores, ut Summi Pontificis sententia firma maneat; nisi supponat Summum Pontificem de *omnibus* Sanctis Patribus idem sensisse, saltem de iis, qui textu Gen 3, 15 occupantur, quod est absonum cogitare, cum notum sit plures esse Patres, qui interpretationem mariologicam Gen 3, 15 non noverant. Haec diximus in suppositione Summum Pontificem expressisse, saltem implicite, Sanctos Patres, de quibus loquitur, sensum mariologicum Gen 3, 15 admisisse. Utrum haec suppositio vera sit an non, a nostra indagatione excludimus.

2. Pluribus respondendum est ad alterum assertum R. P. G., quod nempe Summus Pontifex implicite affirmet interpretationem mariologicam Gen 3, 15 apud Patres coniunctam esse cum antithesi Eva-Maria.

1<sup>o</sup> Ante omnia determinandum est, de quam conexione inter interpretationem mariologicam Gen 3, 15 et antithesim Eva-Maria sit sermo. In *Collectaneis Theol.* ab initio articuli expresse notavimus non de quocumque nexu nobis agi, sed tantum de nexu causali et necessario, quem requiri putavimus ad hoc, ut R. P. G. sustinere posset *in omni antithesi Eva-Maria virtualiter latere interpretationem mariologicam Protoevangelii.*<sup>140)</sup> Atque hunc tantum nexum necessarium asseruimus deesse in antithesi et Irenaei,<sup>141)</sup> et Epiphanii,<sup>142)</sup> et Chrysippi.<sup>143)</sup> Haec R. P. G. omnino non animadvertit. Proinde, si alia conexio non necessaria (v. g. fundata in associatione idearum, ut apud Epiphanium occurrit<sup>144)</sup>, aut in aliqua applicatione) detegatur asserti a Summo Pontifice, nostra sententia, quam in *Collectaneis Theol.* proposuimus, nullo modo dictis Summi Pontificis contradiceret.

---

<sup>140)</sup> *Collect. Theol.*, a. c., 320s.

<sup>141)</sup> *Ibidem*, 348.

<sup>142)</sup> *Ibidem*, 355.

<sup>143)</sup> *Ibidem*, 362.

<sup>144)</sup> Cf. *ibidem*, 355.

Vel alio modo res potest considerari: agitur de conexione non in ordine reali et obiectivo, sed in ordine ideali. Aliis verbis: non quaeritur de eo, utrum illa, quae in antithesi enuntiantur, et illa, quae in Protoevangelio continentur, de facto seu historice coinciderint necne, sed de eo, utrum in cognitione Patrum haec duo tali vinculo necessitudinis conexa fuerint, ut uno posito ab aliquo Patre, necessario inferatur alterum.<sup>145)</sup> R. D. Laurentin eodem sensu facit distinctionem inter »conexionem obiectivam« et »independentiam litterariam«. <sup>146)</sup>

2<sup>o</sup> Deinde notamus incisum illud Constitutionis Apost. *Munificentissimus Deus*, de quo nobis res est, esse maximi momenti in tota expositione argumentorum e fontibus revelationis haustorum pro dogmate Assumptionis B. M. Virginis definiendo. Proinde expectandum erat singulas eius sententias, immo et verba, esse accurate ponderata atque Summum Pontificem vitare omnia, quae sunt minus certa aut discussioni obnoxia nec tamen ad probandum necessaria, ut nimirum valor huius argumenti fortior evadat. Ad eiusmodi autem quaestiones, quae libere inter catholicos auctores discutuntur, pertinet etiam existentia aut non existentia conexione logicae necessariae inter antithesim Eva-Maria et interpretationem mariologicam Gen 3, 15. Igitur a priori potius praesumendum est Summum Pontificem non intendisse hanc quaestionem solve.

3<sup>o</sup> Si vero ipsum incisum Constitutionis Apost. analysi subicimus, invenimus adesse ibi syllogismum regularem quamquam compositum, qui in aliquot intermedios syllogismos resolvi deberet. Nimirum: a) *Maior* praemissa huius syllogismi est desumpta e Traditione: Secundum Patres Maria qua nova Eva arctissime coniuncta est Christo, novo Adae, in certamine adversus inferorum hostem. b) *Minor* praemissa est e S. Scriptura: Atqui hoc certamen ad plenissimam victoriam deventu-

---

<sup>145)</sup> Cf. ibidem, 320 s.

<sup>146)</sup> R. Laurentin, a. c., 111.

rum erat secundum Gen 3, 15, nimirum ad victoriam de peccato et de morte secundum epistulas ad Romanos et primam ad Corinthios. c) *Secunda Minor*: Atqui gloriosa Christi resurrectio fuit pars essentialis illius plenissimae victoriae. d) *Conclusio*: Ergo etiam B. M. Virginis corpus similem gloriam adipisci debuit. e) Comprobatur ultima Minor, quod immortalitas corporis, ad quam resurrectio via fuit, est pars essentialis plenissimae victoriae: e I Cor 15, 54.

Quaenam sequelae inde fluunt pro nostra quaestione?

Praemissa Maior loquens de nova Eva et de novo Adam de certamine adversus diabolum supponit et includit antithesim Adam – Christus, antithesim Eva – Maria et principium retorsionis divinae applicatum. »Certamen adversus inferorum hostem« est terminus medius inter Maiorem et primam Minorem. Proinde Summus Pontifex certo statuit *identitatem istius certaminis* in antithesibus et in principio retorsionis divinae ex una parte atque Gen 3, 15 ex altera parte. Eo ipso edicitur *conexio realis obiectiva* inter antitheses ipsas et principium retorsionis prout apud Patres reperitur, ac Gen 3, 15. Attamen Summus Pontifex nihil ne implicite quidem, dicit de *conexione ideali* seu de nexu logico necessario inter haec duo apud Patres aut de dependentia litteraria: non negat quidem eam, at neque affirmat, sed abstrahit ab ea, ponens simpliciter doctrinam Patrum in praemissa Maiore, textus biblicos vero in Minore.

Altera sequela apparebit in responso ad aliud assertum R. P. G.

4. Nimirum R. P. G. ita ait:

Ratio Summi Pontificis adducendi Patres est eorum *doctrina de nova Eva in opere redemptionis non simpliciter, sed quatenus in Gen. 3, 15 praesignificata.* <sup>147)</sup>

Ni fallimur, hoc est praecipuum argumentum, quo secundum R. P. G. debet probari Summum Pontificem affirmare *conexionem* inter antithesim Eva–Maria et sensum mariologicum Gen 3, 15 apud Patres vigere, quia aliud magis explici-

---

<sup>147)</sup> T. Gallus, l. c., 9.

tum argumentum non invenimus. Utique istud dictum est potius simplex assertum aut conclusio, ad cuius probationem inveniendam oportet recurrere ad illa, quae R. P. antea dixerat de sensu mariologico a Summo Pontifice affirmato. <sup>148)</sup> Si autem haec in auxilium vocantur, tunc ultima ratio illius asserti R. P. G. videtur esse in eo, quod Summus Pontifex etiam in hoc inciso prout in praecedenti, dicitur intendisse dare argumentum e »Sacris Litteris«, talis vero eius argumentatio non esset, si adduxisset doctrinam Patrum de nova Eva simpliciter, non autem quatenus in Gen 3, 15 est praesignificata. <sup>149)</sup>

Ad hoc argumentum ita respondendum esse censemus. R. P. G. se refert ad incisum immediate praecedens Constitutionis Apost. *Munificentissimus Deus*, ubi haec legimus:

Haec omnia Sanctorum Patrum ac theologorum argumenta considerationesque Sacris Litteris, tamquam ultimo fundamento, nituntur. quae quidem almam Dei Matrem nobis veluti ante oculos proponunt divino Filio suo coniunctissimam, eiusque semper participantem sortem. Quamobrem quasi impossibile videtur eam cernere, quae Christum concepit, peperit, suo lacte aluit, eumque inter ulnas habuit pectorique obstrinxit suo, ab eodem post terrestrem hanc vitam, etsi non anima, corpore tamen separatam. Cum Redemptor noster Mariae Filius sit, haud poterat profecto, utpote divinae legis observator perfectissimus, praeter Aeternum Patrem, Matrem suam dilectissimam non honorare. Atqui, cum eam posset tam magno honore exornare, ut eam a sepulcri corruptione servaret incolumem, id reapse fecisse credendum est. <sup>150)</sup>

Incisum hoc terminat longiorem expositionem »argumentorum« convenientiae Assumptionis B. M. Virginis aliarumque »considerationum« a Sanctis Patribus et theologis prolatorum. Argumenta ista et considerationes sive e ratione (plerumque) sunt petita, sive – apud theologos – ad illustrandam Assumptionis fidem, cum quadam libertate »eventus ac verba referunt,

---

<sup>148)</sup> Ibidem, 7-8.

<sup>149)</sup> Cf. ibidem, 7 incisum »Constitutio Apostolica quasi immediate ante « Si non bene intelleximus mentem Cl. Auctoris, veniam petimus, sed sincere conati sumus eam recte assequi.

<sup>150)</sup> AAS 42 (1950) 767 s.

quae a Sacris Litteris mutuuntur«. <sup>151)</sup> Sumus Pontifex haec omnia reassumens, dicit illas *rationes convenientiae* – quia argumenta stricta hucusque non sunt data – Sacris Litteris tamquam ultimo fundamento niti. Revera illa, quae in inciso *Haec omnia* e Sacra Scriptura afferuntur ad monstrandum Sacras Litteras »almam Dei Matrem nobis veluti ante oculos ponere divino Filio suo coniunctissimam eiusque semper participantem sortem«, aptissime illas rationes convenientiae fundant. Incisum vero totum clauditur conclusione, quae non secus ac »argumenta considerationesque« Patrum et theologorum, gradum rationis convenientiae non excedit.

Consilium Summi Pontificis monstrandi, quomodo »argumenta considerationesque« Patrum et theologorum quae hucusque allata sunt, Sacris Litteris nitantur, est ad finem perductum. Nunc vero in inciso *Maxime autem illud*, quod initio attulimus, Summus Pontifex transit ad argumentum novum, quod e praecedentibus »argumentis considerationibusque« Patrum et theologorum non deducitur neque ea respicit. Et revera ultimi theologi, quos Summus Pontifex illic memorat (S. Robertus Bellarminus, S. Franciscus, Salesius, S. Petrus Canisius, Suarez), vixerunt saeculo XVI et initio saeculi XVII, dum argumentum hoc inciso propositum, est demum ultimis temporibus» maturatum«. <sup>152)</sup> Quae cum ita sint, illa, quae initio incisi praecedentis dicuntur, proprie ad illud tantum incisum referentur, neque ex illis quidquam pro sequenti inciso directe inferre licet, nisi respectu habito circumstantiarum huic inciso propriarum.

Nimirum libenter agnoscimus et tenemus Summum Pontificem in hoc quoque inciso pro Assumptione B. M. Virginis argumentum e S. Scriptura afferre velle. Sed argumentum hoc est independens et a praecedenti inciso et a prius recensitis rationibus convenientiae Patrum et theologorum. Dum in praecedenti inciso indicatum est ultimum fundamentum biblicum

---

<sup>151)</sup> Ibidem, 762.

<sup>152)</sup> Cf. A. Bea S. I., »Civiltà Cattolica« 101, 4 (1950) 554.

ilarum rationum convenientiae, in praesenti inciso proponitur *ultimum fundamentum biblicum ipsius dogmatis Assumptionis*, ut recte illud vocavit R. P. Bea. <sup>153)</sup>

Consequenter ad haec argumentum praesens aliter constructum et aliter iudicandum est atque argumentum incisi praecedentis. Allegatur et hic quidem doctrina Patrum, attamen non eo fine, ut pro ea fundamentum biblicum quaeratur aut ut illa cum textu genesiaco comparetur, sed ut partem argumentationis constituat tamquam praemissa maior, a praemissa minore independens. Proinde non est verum, quod dicit R. P. G., rationem adducendi Patres in hoc argumento esse eorum doctrinam de nova Eva tantum »quatenus in Gen 3, 15 praesignificatam«. Neque probatio huius asserti (prout a nobis intellectum est) valet, quia 1<sup>o</sup> propositum initio incisi praecedentis expressum ad sequens incisum directe non refertur, quod probavimus; 2<sup>o</sup> revera tamen argumentum manet biblicum et ultimum fundamentum dogmatis Assumptionis in Sacra Scriptura continetur, quia in S. Scriptura est sermo de plenissima victoria super inimicum adipiscenda, quae victoriae de peccato et morte aequivalet. Praemittit vero Summus Pontifex doctrinam Sanctorum Patrum probabiliter eo fine, ut ostendat, ideam certaminis cum inimico iam apud Patres inde a saeculo II notam fuisse atque consortium cum Christo in eo gerendo Mariae explicite tributum esse, dum textus genesiacus modo generali de »muliere« eiusque »semine« loquitur.

Putamus nos hisce sufficienter probasse *Summum Pontificem non affirmare, ne implicite quidem, connexionem necessariam idealem inter antithesim Eva-Maria et Gen 3, 15 apud Patres*. Sin autem R. P. Gallus hisce argumentis sibi persuaderi non permiserit, id saltem agnoscere debet, adesse alium, praeter suum, possibilem et non omnino spernendis rationibus innixum modum res componendi. Nonne proinde R. P. nimis festinanter et leviter tam gravem et obstinatam oppositionem ad duo asserta Summi Pontificis nobis imputavit?

---

<sup>153)</sup> A. Bea S. I., *La Scrittura*, »ultimo fundamento« del domma dell' Assunzione, ibidem. 547-561.

## Conclusio.

Respondimus ad omnia argumenta, quibus R. P. Gallus conatus est et probare Iustinum christologico-mariologicum sensum Gen 3, 15 professum esse, et nostra argumenta pro opposita opinione diluere. Item respondimus ad quandam graviolem difficultatem, quam ipsimet contra nostram interpretationem capituli 91 *Dialogi* movimus. E responsis datis putamus elucere omnia sine exceptione argumenta nostrae opinioni contraria plene soluta esse, e contra nostram opinionem firmiorem evasisse. Itaque stat inconcussa veritas, quod Iustinus interpretationem christologico-mariologicam Gen 3, 15 non novit, sed primatus hac in re Irenaeo debetur.

Porro, quia Iustinus est primus, qui antithesim Eva-Maria proposuit, certum est hanc antithesim ortam esse independentem ab interpretatione mariologica Gen 3, 15.<sup>154)</sup> Ideo non est necessarium, ut analysim libelli R. P. G. ulterius prosequamur, examini subicientes argumenta, quibus Cl. Auctor probare conatur Irenaeum antithesim Eva-Maria cum interpretatione mariologica Gen 3, 15 coniunxisse, quod utique aliam separatam commentationem postularet. Ceterum vel levis istorum argumentorum perlustratio sinit nos confidere nos de nostra opinione, quam in *Collectaneis Theologicis* proposuimus,<sup>155)</sup> securos posse manere. Praeterea nostra opinio est acceptata et confirmata a mariologis.<sup>156)</sup>

---

<sup>154)</sup> Cf. R. Laurentin, a. c., 93.

<sup>155)</sup> *Collect. Theol.*, a. c., 336-348.

<sup>156)</sup> G. Philips, »Marianum«, 15 (1953) 498; R. Laurentin, a. c., 90. 111. Hic Cl. Auctor allegat pro eadem sententia praeter Fr. Drewniak: C. Dillenschneider, *Marie au service de la Rédemption*, 274 (non dicit hoc explicite, sed potius ex eius expositone haec conclusio fluit) et P. Hitz, »Etudes Mariales«, 5 (1947) 50. In adnot. 160 (p. 111) vero addit hanc magni momenti confirmationem nostrae sententiae: *La chose a été démontrée par Styś pour les Pères les plus anciens. Notre enquête a confirmé sous maints rapports ces analyses, d'abord de façon statistique: Ayant réuni, le plus complètement possible le dossier Gen. 3, 15 et le dossier Eve-Marie, que je croyais primitivement ne devoir faire qu'un seul et*



Piget nos, nos debuisse haec contra R. P. Gallus scribere, cuius meritum in elaboranda interpretationis mariologicae Protoevangelii historia, eiusque vere durum laborem libenter agnoscimus et admiramur. Quia R. P. aequae ac nos tantum veritati inveniendae studet, spero nos tandem in veritatis sinu conventuros. Quod si R. P. nostris rationibus haec expositis non contentus vellet ulterius discussionem trahere, habeat nos excusatos, si amplius non respondebimus et ad investigationes strictae exegeticae prosequendas revertemur.

---

*même dossier, j'ai du constater l'indépendance quasi-totale des deux séries. Pour toute la période étudiée, jusqu'au milieu du XII<sup>e</sup> siècle les rencontres sont rarissimes et, comme l'a démontré S. Styš, occasionelles: il y a connexion matérielle par voie d'association d'idée et non lien logique. Je ne puis reprendre l'analyse. A ceux que la présente constatation dérouterait (comme elle m'a d'abord un moment dérouté) je soumettrai seulement une observation qui les mettra sur la voie. Le parallèle Eve-Marie porte sur divers éléments empruntés à Gen., II-III. En tout premier lieu la scène de la désobéissance (3, 1-7 en parallèle avec Luc. 1, 28-35), puis la qualité de Mère des Vivants (Gen. 3, 20) et divers éléments accessoires (les vêtements tissés par Eve, etc., pour finir très tardivement par Gen. 2, 19, la fameuse expression adjutorium simile sibi. Si le parallèle Eve-Marie se référait à Gen. 3, 15, on devrait y voir apparaître les expressions caractéristiques de ce verset, p. ex.: Eve fut amie du serpent, Marie, son ennemie. On cherche en vain des expressions de ce genre chez les auteurs anciens.*